IOACHIMI IOHANNIS MADERI,

De


DUELLO, UT ORDALEI QUONDAM SPECIE, DISSERTATIO.

Adjectæ sunt

PETRI GREGORII THOLOSANI, OLAI WORMII, HENRICI BANGERTI, PHILIPPI CAMERARII, ALIORUMQUE,

de eodem

COMMENTATIONES.





HELMESTADII,

Typis & sumtibus HENRICI DAVIDIS MULLERI, Acad. Typ. M DC LXXIX.



REVERENDISSIMO
CELSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FERDINANDO,

EPISCOPO PADERBORNENSI ET MONASTERIENSI, BURGGRAVIO STROMBERGENSI, S. R. I. PRINCIPI, COMITI IN PYRMONT, ET DOMINO IN BORCKELOHE, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

FAUSTA FORTUNATAQUE OMNIA

ANIMO DEVOTISSIMO PRECATUR

JOACHIMUS JOHANNES MADERUS

Quod

QVod in Heroicis Symbolis non nemo facit, ut JULIUM CÆSAREM, qui perpetuum IMPERATORIS nomen in Romanum Orbem primus invexit, terræ globo insistentem repræsentet, dextra gladium, sinistra librum tenentem, cum hac inscriptione: EX UTROQUE CÆSAR: Id si ad Te, REVERENDISSIME PRINCEPS, accommodemus, næ id, jure optimo à nobis fieri, censeri queat? Quem enim præterit excellens maxime eruditio Tua, vel in ILLUSTRIUM SEPTEM POEMATIS conspicua, quos inter sic præfulges, veluti dux ille & moderator siderum inter errantia reliqua? Quis non cum admiratione intuetur PADERBORNENSIA TUA MONUMENTA, ea elegantia, eo acumine ingenii, ea industria adornata; ea etiam doctrina Historiarumque varietate referta, ut qui gravissimas ignorat, quas Patriæ

impendis, curas, id unum Te tota vita egisse, putare possit? Ne dicam, quod adhuc longe majus moliaris RERUM PADERBORNENSIUM opus; cujus primum tomum, ab *Augusti* Imp. temporibus, usque ad *Caroli Magni* excessum, jam ante sexennium, ut tum clementissime ostendebas, absolveris, in altero vero de EPISCOPIS PADERPORNENSIBUS, præter innumera literarum publicarum monumenta, ultra centum triginta (& forte nunc multo plura) antiqua Cæsarum Diplomata, totidemque Bullas Pontificias, erudito orbi exhibiturus sis; vix ut creditura sit posteritas, tot tantisque rebus unum hominem, nedum Principem & Episcopum, potuisse sufficere. Quod si ad militares progrediamur artes, cui non admirabile item visum, Te Pacis huc usque Musarumq; alumnum,

hoc

hoc vix dum sopito in Germania bello, pari felicitate arma, quam antea stylum tractasse: non quidem ut hostibus insultares, triumphos ageres, pomœria diduceres: sed ut Patriæ honestam pacem, Tibi vero gloriam decusque immortale parares. Quomodo & antiquissimos plane Reges animatos fuisse, legimus; quos *ad fastigium illius majestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provexerat:* non etiam Romanos, licet ab æquitate passim commendatos: quibus, si, quæ socios defendendo ad se rapuerant, restituere voluissent, *ad casas*, juxta Carneadis effatum, fuisset *redeundum*. Hoc vero est, CELSISSIME PRINCEPS, ut res dant sese, ita *& Numæ & Romuli meliorem* vivere: uti nec ipsam Pallada ob quid aliud finxisse armatam volunt Poëtas, quã

ut in Principe bellicam virtutem cum ſapientia, indiſſolubili quaſi nexu, conjunctam & copulatam eſſe debere, innuerent. Dicerem, hoc ipſo me permotum, ut tenues haſce chartas, Martem tamen ſuo modo ſpirantes, auderem *Reverendiſſ. Celſit. Tuæ* humillime conſecrare, ni incredibilis illa humanitas, qua me nullo meo merito complexa dudum eſt, id totum ſibi vindicaret. Hæc enim Te impulit, EMINENTISSIME DOMINE, ut, cum opuſcula quædam mea ante annos aliquot forte vidiſſes, & amare me cœperis, & ſupra laudatos divini ingenii Tui fœtus, per CONRINGIUM TUUM, clementiſſime mihi miſeris: cumque propterea grates Celſit. Tuæ, prout par omnino erat, agerem, non ſolum literis ἰδιογράφοις, ſed & munere inſuper ſplendido benigniſſime me

ornare


ornare volueris. Quorum omnium memoriam, nisi grata prædicatione extenderem, ingratissimus mortalium siem. Accipere ergo dignaberis, REVERENDISSIME PRINCEPS, hoc quicquid est libelli, à grato animo & beneficii memore profecti, Tibiq; demississime dicati, ea frõte, qua alias levidensia mea admittere solitus es, hoc est, hilari & serena: & quẽadmodum magnus quondam Persarũ Rex eo lætiore vultu excepit aquam, utraq; vola â subdito sibi oblatam, quod ex Cyro flumine esset hausta: sic ex inexhausto Antiquitatum, ut ita loquar, Oceano, quas unice in deliciis habes, exiguam hanc particulam, ne quæso, despice, sed pro Tua singulari comitate & mansuetudine gratam acceptamque habe: meque porrò patere in eorum esse numero, qui Te serio venerantur & colunt. Ego vero precabor Deum, ut *Reverendiss. Celsit. Tuam* quam diutissime salvam conservet, atque omni felicitate beet. Dabam Scheningæ, V. die Septembris, Anno cIↄ Iↄ cLXXIX.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO S. P.

UNdecim jam præterlapsi sunt anni, cum hanc DE DUELLO dissertationem, rogatu Viri cujusdam Nobilißimi, jam fato perfuncti, qui tum de Consuetudinibus Germaniæ nostræ moliebatur opus, Epistola primum complecterer. Quæ cum tacitis deinceps augesceret incrementis, jam luci creditur. Quamquam libentius promissa jamdudum CHRONICA, hactenus inedita, vel quæ aliàs à me ex antiquis monumentis sunt eruta, evulgassem, si fuissent, qui voluissent in ejusmodi, majora præsertim opuscula, sumtus impendere. Proinde ut quimus, quando, ut volumus, non licet. Addidi & aliorum de eodem argumento commentaria: in quibus Petrus Gregorius Tholosanus formulas & ritus duellorum, ex Gallorum præcipue studio & invento, perstringit: uti Cl. Wormius Danorum ea in parte consuetudines recenset: Vir etiam doctißimus Christianus Flemmer, Ser^mo Brunsuicensium & Luneburgensium Duci, DN. ANTON HULDERICO, Domino meo clementißimo, à secretioribus literis, misit, quæ in fine libelli comparent, ex Vulsonii Theatro Honoris equestris, excerpta, à se de Gallico Latine versa, Duellorum istiusmodi exempla quædam illustria. Quæ si non ingrata Tibi esse intelligam, dabo operam, quantum in me erit, ut & reliquorum, quæ pollicitus sum, juvante Deo, aliquando compos fias. Interim vale, & bene rem gere.

De



De DUELLO, Ut ORDALEI QUONDAM SPECIE, *JOACHIMI JOHANNIS MADERI* DISSERTATIO.

INter ORDALEA Veterum, seu *Vulgares*, ut vocant, *probationes*, quibus veritatem culpæ vel innocentiæ alicujus patefieri posse persuasum habebant, viguisse olim & tantum non principem obtinuisse locum; quod *Dei Iudicium* non uno loco Longobardicæ Leges, *Gladiatorium judicium* a Sigebertus, *singularem pugnam* Sulpitius Severus b & Aimoinus; c *Singulare certamen* Fredegarius Scholasticus d & Paulus Diaconus; e *unius ad unum collisionem.* Dantes Aligerius, f Græci μονομαχίαν, vulgo *Duellum* dixere; ex frequentissimo ejus, præsertim in Aquilonaribus terris, usu, sic satis manifestum est. Neque enim Eruditorum quenquam facile latet, quantum illarum gentes singulæ universæque, Scythicæ omnes origi-

a Ad annum 942. b Lib. 1 pag. 167. edit. Lugd. B. 1647. c Lib 4. cap. 21. d Chronic. cap 51 e Lib. I. cap. 2. f Lib 2. de Monarch. p. 186.

 nis,

g Ap. Cicer. Epist. III. lib. 3. Gellii lib. 20. cap. X.

h Pag. 17. Tom. III. Pistor.

i De gestis Caroli cap. 22.

k Lib. 3. Cosmograph. cap. 34.

l Vide Stephan Notis ad Sax p. 73.

m Tertullianus lib. de resurr. carnis, cap. 16.

n Epist. 1. lib. 1.

o Pag. 709. edit. Basil. 527.

p Cap. 28.

q Cap. 22.

r Tertull. d. l.

s Lib. 1. cap. 19.

nis, atque *rem ferro mage*, ut Ennius loquitur, g *quam ex jure manum consertum repetentes*, gladiis suis tribuerint; quomodo propriis eos nominibus appellando, (velut de *Arcturi* Britanniæ regis *Caliburno*, ex Vincentio tradit Magni Chronici Belgici Auctor, h de Rolandi *Durenda* vel *Durendal* Turpinus i & Paulus Merula; k de aliorum Heroum ensibus, scilicet *Skerp, Lovi, Snyrtir, Linsing & Huiting*, l Saxo Grammaticus, aliique prodidere:) Nunc in templis Deo alicui consecratos reposuerint; m quo *sic bene de bello cruenti & meliores homicidæ laudem sua consecratione pensarent*: Æque ut apud *Horatium* n Vejanius gladiator nobilissimus, *post multas palmas*, ut ibi ait *Acron*, o armis

Herculis ad postem fixis latet abditus agro:

Quod nec alias ab hominibus militaribus in illa *Terrarum Deagentiumq; Roma* alienum fuisse, luculentissimi testes sunt *Iustus Rycquius* p & *Iacob. Philip. Thomasinus*, q elegantibus de *Capitolio ac de Donariis & Tabulis Votivis* commentariis: Modo illos *concubinos habuerint*, *atque*, ut rursum doctissimi Patrum utar verbis, *homicidiis ebrios, secum sepeliverint, tanquam gloriæ ac fortunæ suæ vindices*: r uti cuidam in *Gothia* saxo vetusto inscriptum fuisse, refert *Olaus*, ille *Magnus*: s

DOMITOR VIOLENTORUM,
AC DEFENSOR OPPRESSORUM

CICA-

CICATRICIBUS ET SENECTUTE PLENUS,
GLADIOQUE CINCTUS,
HIC SITUS SUM INGOLFUS.

Et ex M. *Brynolfo*, de quodam *Biarcone* insigni athleta narrat *Stephanus Iohan Stephanius*, t quod nongentis non minus annis post, quam cum *Roluone* Danorum rege eidem tumulo fuerat illatus, ab alio viro forti, cui *Skeggo* nomen, *sit inventus cum rege sedens, gravi armatura indutus, & insignem, stupendaq; specici gladium tenens; quem iste* Skeggo *ex illius dudum mortuis torpidisq; manibus nullis viribus potuerit avellere.* Modo pro numinibus eosdem coluerint, divinosque ipsis impenderint honores; sive *quod, cum hominibus vita & morte nihil sit majus, gladius mortis esset auctor*, ut Toxaris apud Lucianum, u sive *quod Deos per illos venerarentur*, ut Julianus ait, x gladiumque Martis signum putarent: excusante ita etiam idolorum culturam Philosophorum summo *Maximo Tyrio*; y quod, *cum infirma sit oppido humana natura*, καὶ διεστῶς τῦ θείυ, ὅσον ὐρανὸς γῆς, *tantumq; à divina, quantum à cœlo terra, recedat, Legislatores ejusmodi* ἀγάλματα seu *imagines*, σημεῖα τῆς πρὸς τὸ θεῖον τιμῆς, καὶ ὥσπερ χειραγωγίαν τινά, καὶ ἀνάμνησιν, *honoris divini quasi symbola quædam vel notas invenerint, queis ad memoriam Dei, quasi manuductione quadam ac via deducerentur.*

t Notis ad Saxon. pag 73.

u Pag. 85. Tom. II. edit. Salmur 1619.

x Pag. 573. ed. t. Paris. 1630.

y Differt. 38 p 379. edit Lugd. B. 1614.

Et de Scythis quidem diserte Clemens Alexandrinus: z Πάλαι μὲν οἱ Σκύθαι τὸν Ἀκινάκην προσεκύνυν.

z Admonit. ad gẽt. pag. 19. edit. Paris. 1641.

κύνου. *Scythæ antiquitus adorabant acinacem*: quod dein ex *Eudoxo* & *Icesio* repetit, *a* nec *Epiphanius* lib. I. adversus Hæreses intactum reliquit: *b* ut *Melam* taceam, *c Solinumq*, quorum hic clarissime: *d Populis istis Deus Mars est, pro simulacris enses colunt*: & Ammianum, *e ab Alanis gladium barbarico ritu nudum humi fixum, velut Martem, regionum, quas circumeunt, præsulem verecundius cultum*, longe clarius profitentem: cum omnes illos in describenda totius cultus ratione vicerit, non immerito dictus Historiarum pater, libro, qui ipsi *Melpomene* est, inquiens: *f Marti sic prisco ritu apud Scythas tale exstruitur templum. Sarmentorum fasces aggeruntur, trium in longum latumq stadiorum, minoris tamen sublimitatis. Desuper quadrata planities efficitur. Tria latera prærupta sunt, quartum acclive, per quod ascendatur. Eo comportant quot annis centum quinquaginta plaustra sarmentorum. Nam semper illa propter cœli temperiem marcescunt. Sub hac congerie ferreus acinaces, qui singulis vetustior est, statuitur*, καὶ τοῦτ᾽ ἐστὶ Ἄρεος τὸ ἄγαλμα, *Idq est Martis simulacrum. Huic vero acinaci annuas hostias offerunt, cum aliorum pecorum, tum equorum; & plus huic acinaci quam cæteris Diis. Ex captivis quoq centesimum quemq immolant, non eodem, quo pecora, modo, sed diverso. Nam ubi eorum capitibus vinum libaverunt, ipsos intra quoddam vas jugulant. Dehinc eisdem in sarmentorum congeriem sublatis*, καταχέουσι τὸ αἷμα τοῦ ἀκινάκεος, *acinacem cruore perfundunt*.

Non

a Pag. 42. ibid.
b Pag. 2. edit. Basil. 1578.
c Lib. 2. pag. 42 edit. Basil.
d Cap. 25.
e Lib. 31 p. 470. edit. Hamburg. 1609.
f Herodot. lib. 4. cap 62.

Non ergo mirum, si Deo suo arbitro ac teste lites diremerint, ipsiusque voluntati ac nutui remque seque, ipsamque adeo vitam permiserint: imo maxima reipubl. momenta ab armis pendere voluerint, per arma etiam in solemnibus pactis & fœderibus juraverint, ut quidem rursum *Ammianus* de *Quadis* loquens: g *Eductis mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravere, se permansuros in fide.* Et *Aimoinus*, Saxonum pactum cum Dagoberto commemorans, id quidem *sacramento super arma (ut eis mos erat) firmatum, sed nulla factorum efficacia stabilitum*, ait: h ceu *Alamannorum* deinceps, jam Christianorum optimates, *anno Arnolphi regis secundo, in placito, in villa Dürroheim, apprehensis spathis suis devotaverunt, se, quæ sacramento confirmassent, ita affirmaturos esse coram Regibus, cunctisq; Principibus, usq; ad sanguinis effusionem*: i & *apud Polonos, Mieislao primo Christiano Principe, mos iste inolevit, ut homines Equestris Ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronuntiaret, ex quo Evangelista recitaturus esset Evangelium, gladium mediotenus stringerent, quasi profitentes, mortem sibi prius oppetendam, quam à suscepto semel Evangelio, & religionis professione discedendum; choro autem respondente*, Gloria tibi Domine; *rursus reconderent*: referente *Herburdo* Histor. Polon. lib. II. cap. I.

g Lib. 17. p. 116.

h Lib. 4. cap. 26.

i Pag. 74. Tom. II. Antiq. Alaman. Goldasti.

Quanquam & alias gentes vel gravissima quæque, in disceptationem venientia, armis dijudicare con-

ſueviſſe, teſtetur in Hiſtoria ſacra *Davidis* cum *Goliatho* k conflictus: *Horatiorum* item l & *Curiatiorum* apud Romanos; *Timoëthiq.* Athenienſium, & *Melanthi* Thebanorum Ducis, pro orta inter hos & illos de *Celænis* vel *Melænis* lite, commiſſio: m cujusmodi exemplorum librum jam olim ſe concinaſſe *Athenæus* innuit lib. IV. cap. 13, ubi & ex *Poſidonii* XXIII. recenſet, quemadmodum apud *Celtas temporibus priſcis conſuetudo fuerit, ut appoſitis pecudum artubus femur ſumeret ſtrenuiſſimus. Quod ſi quis alius id ſibi vindicaret, ad alterius usq. interitum inter ſe pugnarent.* Imo & τῶν μονομαχούντων εὑρετὰς ſolitarii certaminis inventores, ex Hermippo *Mantinæos* facit; niſi hæc cum Juſto Lipſio n de *gladiatoribus*, quos Romani, quibus ejusmodi cædes & lanienæ pro obtectamento erant, magno numero alebant quondam, intelligere malis, cum hiſce duellatoribus noſtris more quorundam (licet & eorum pugna audierit *Monomachia*) nequaquam confundendis. De *Vmbris* (ὀμβρικοῖς) utique ex *Nicolao Damaſceno* narrat *Stobæus*, o quod, *ſi controverſias inter ſe haberent, pugnaverint armati, ſicut in bello, & qui ſuos adverſarios interemerint, juſtiorem cauſam habuiſſe viſi ſint.* Germani etiam, auctore Tacito, *p ejus gentis, cum quo bellum eſſet, captivum, quo quo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum, patriis quemq. armis committebant: victoria hujus vel illius pro Iudicio accipiebatur.* Ad quem locum

k Samuel. 1. cap. 17. Joſeph lib. 6. Antiq. cap. XI.
l Flor. lib 1. cap 3. Livius lib 1. cap. 24.
m Refert. Polyænus lib 1. pag. 25. Frontin. lib. 2. cap 5. Photius in Biblioth. pag. 449. Suidas in
n Lib 1. Saturn. cap. 8.
o Vide Excerpta Valeſii pag. 513.
p Lib. de moribus Germ. cap X.

eum vide, quæ egregie scripsit Vir Cl. *Matthias Berneggerus* Quæst. Miscellan. LI.

Sane quod *post Barbarorum in Italiam irruptionem truculentus ille mos, tam criminales, quam civiles causas per monomachiam decidendi, apud Longebardos, Germanos, Francos, Anglos, Hispanos Moschos & Danos demum obtinuerit*, ut laudato ante *Stephanio* visum, q potius ita interpretandum fuerit, quod per eas nationes in *Italiam*, *Galliam*, *Britanniam*, *Hispanniam*, illa ratione tunc primum sit introductus, prout unaquæque gens modo hanc, modo illam provinciam, citius serius, Imperio detraxerat, quam quod ab Italis eum didicerint: præsertim cum apud istas gentes jam longe ante in usu fuerit; ut vel dictorum jam *Umbrorum* exemplo probari haud difficulter potest; qui, sive *Gallorum veterum* fuerint *propago*, ut *Solinus* cap. VIII. censuit; sive à *Gallis Senonibus*, circa annum U.C. 360, ipsorum terram occupantibus, *jusq; se in armis ferre*, vel Livio teste, r gloriantibus, istum edocti fuerint, multis ante seculis suorum controversias sic dirimere consuevere. Ne dicam, quod *Frotho Magnus*, ab eodem *Stephanio*, eadem pagina memoratus, qui tempore nati Servatoris & Gothis & Danis fertur imperasse, inter alias hanc legem tulerit, *ut de qualibet controversia ferro decerneretur*: ac de *Germanis* in Quintilii Vari gestis tradat *Paterculus*, s Frothoni fere contemporaneus, quod

q Pag. 120 in Notis ad Sax.

r Lib. V. cap. 16.

s Lib. II. cap. 118.

quod *ficte illi gratias egerint, utpote, solita armis discerni, jure determinanti.* Quibus etiam gentibus omnibus mos iste eo diutius adhæsit, quo vel atrociores, vel superstitiosiores essent; prout nec alias dedisci vel immutari facile aliquid solet in patriis moribus, ipsis earum regibus, ut magnam partem liberrime electis, ac propterea certis legibus & conditionibus circumscriptis, etiam cum Christianam fidem essent amplexæ, ne hiscere quidem longo tempore contra ausis.

Claret id quam maxime ex *Rotharis* LONGOBARDORUM regis verbis, non uno loco in diversis ipsorum Legibus conspicuis: quibus licet ingenue fateatur, t *grave, impium, injustum, absurdum & impossibile sibi videri, ut aliqua grandis causa sub uno scuto dirimatur, vel homo per unam pugnam omnem suam substantiam amittat; incertumq; se esse,* scribat, *a in parte de judicio Dei, quod multos audiverit sine justa causa suam perdidisse:* tamen addit: u *se propter consuetudinem impiam gentis legem vetare non posse.* De FRANCIS vero Fridericus II. x, eos suis adhuc temporibus *personarum suarum, plurimumq; rerum suarum omnium, aut majoris partis earum, fortunam in monomachia posuisse.* Nam quod ante idem veteri instituto fecerint, *Bernhardus* quidam, *Ludovici Pii Cameræ Præfectus* apud hujus Vitæ Scriptorem, satis demonstrat; y dum *stupri accusatus Imperatorem adiit, modumq; se purgandi ab eo quæsivit,*

t Lib. 2. LL. Longob. Tit 55.

u Ibid lib. 1. Tit 9. L. 21.

x Lib II. Constit. Sicul. Tit 32.

y Pag. 396. edit. Pithœi.

MO-

MORE FRANCIS USITATO *scilicet crimen objicienti se objicere volens, armisq; impacta diluere.* De GERMANIS Laonicus Chalcocondylas, Histor. Turc. lib. II. z *Monomachia apud eos vel maxime celebris est. Congrediuntur verò, non equis insidentes, verum terræ insistentes.* Græca Cl. Freherus Tomo II. Rer. Germ. inseruit: Νομίζεται δὲ παρὰ τούτοις καὶ μονομαχία, μάλιστα δὲ τῶν ἄλλων ἐθνῶν· ὥστε γῆθεν, οὐδ' ἐφ' ἵππων ἀλλήλοις μονομαχεῖν: & minus, ut videtur, congrue, de exercitatione illa explicat, *qua Germana pubes festivis diebus per varia armaturæ genera, bastas, gæsa, enses retusos, pugiunculos ligneos, publico spectaculo inservìit.* Neque enim hoc adeo ad illorum laudem, quam plenis ibi buccis *Laonicus* concelebrat. Rectius Olaus Wormius lib. IV. Monumentorum Daniæ, quod ad Germanos non minus, quam ad Danos pertinet: *Majores nostros ea religione arma tractasse legimus, ut nihil non facerent armati. Epulabantur armati, concilia armati inibant, pactiones armorum contactu firmabant; armati etiam jurabant, vel armata dextra, vel super armis etiam honoratioris alicujus, vel propriis. Unde & armorum ademtio apud omnes gentes gravißima est habita. Quidam qui disceptando controversias finire nequiverant, aut noluerant, pacti inter se, ut victorem res sequeretur, ferro decernebant. Aventinus* vero, cum & de singulari certamine disseruisset, & de probatione Aquæ calidæ &

z Pag. 306. edit. Basil. 1562.

Ferri candentis quædam addidisset, adjicere non dubitavit: *a Atq; hæc, tantum abfuit, ut impia judicarentur, ut sanctissimos Pontifices, Principes Christianissimos, viros ac feminas sacratas, usurpasse istas purgandi ceremonias inveniam. Istud tum erat sapere, fidem Deo habere, omnem spem in ipso collocare. Nostro seculo nihil minus!*

a Lib. 4. pag. 449.

Ex quibus vero patet, quam alte institutum hoc ipsorum animis insederit: cum in *Italia*, seculo à nato Christo X. lege introducta, ut, *si de prædiis aliqua contentio emergeret, jurejurando quis id asserere & vindicare sibi posset:* hic ipse mos, tanquam *detestabilis improbusq;* sublatus, *b* omniumque Principum & ipsius Papæ rogatu, *Veronæ* in generali colloquio, *per pugnam judicium*, à Christianissimo Imp. *Ottone Magno* legatur substitutum: etiam multo ante *Karolo Imp.* ejusdem cognominis *longe melius esse* statuente, *c ut, qui crimen ingereret, & qui se defenderet, in campo cum fustibus potius contenderent, quam perjurium patrarent in absconso.* Quid? quod seculo illo X. teste *Attone Episcopo Vercellensi*, *d* duellum nonnullis in locis adeo solemne esset, ut *nec personæ Ecclesiasticæ ab eo fuerint immunes*; Ortaque sub eodem Ottone *e inter Principes dissensione, de varietate legis, utrum deberent avis superstitibus filii filiorum post parentes defunctos hæreditare, an exhæredatis fratruelibus* (*fratrum mortuorum liberis*, explicat Chron. Magnum Belg. *f*) *deberet hæreditas ad viventes patruos redire: ex regis*

b Lib. 2. LL. Longobard. Tit. 55. l. 35.

c Ibid. L. 23.

d E hemer. Erud Tom IV, pag. 112.

e Sigebert. ad ann. 942.

f Pag. 78. Tom III, Pistor.

regis Ottonis, omniumq; Principum sententia cognitio veritatis commissa gladiatorio judicio fuerit, cesseritq; victoria his, qui censebant, fratrum filios debere cum patribus, (seu, ut rectius Witechindus, g *patruis*) *hæreditare.* Seculo vero XII. cum Fridericus Barbarossa, Henrico Leoni, Bavariæ Saxoniæque Duci *læsæ majestatis crimen inferret, Principesq; & Barones, fautores Ducis, contra Imperatorem hoc jus tenere vellent, quod Imp. Ducem condemnare non posset, vel terras abjudicare, nisi infra terras suas placitum constitueret; quidam nobilis exsurgens in medium proposuerit, quod* LEGE DUELLIONUM (duellatorum) *hoc vellet obtinere contra quemlibet, secum pugnare volentem; quod Imperator posset quemlibet Principem evocare pro justitia ad locum, quemcunq; vellet, infra terminos Imperii sui existentem. Cunq; nullus ei se offerret ad pugnam, edicto Imperatoris præfata sententia pro jure perpetuo statuta fuerit, velut quam non dubium esset, auctoritate & ratione firmari.* h

Hinc illæ tam in *Longobardorum*, quam in *BaiWWariorum, Angliorum, Ripuariorum, Saxonumq;* legibus antiquis passim obviæ locutiones: *Per campionem se purificare;* i *campo se innocentem comprobare,* k *efficere; per pugnam se defendere, mundare;* l *per pugnam veritatem decernere, invenire;* m *per pugnam se purgare, id est, per campionem;* n *per pugnam, id est, per campionem, desuper se crimen ipsum ejicere,* o *per pugnam ad Dei judicium decernere;*

g Lib. 2. pag. 37.

h Abbas Ursperg. pag. 227. edit. Argent. 1609.

i LL. Longob. lib. 1. Tit. 32. cap. 3.

k L. Angl. Tit. 7. & 14.

l L. Longob. Tit. 55. c. 9. & 12. lib. 2.

m Ibid. c. 36. & 37.

n Ib. Tit. 3. c. 6. Lib. 1.

o Ib. Tit. 1. c. 7.

p per

p Ib Tit.16. c.2. p *per duellum se defendere;* q *cum campione suam quærere justitiam;* r *cum campione se defendere cincto, id est, pugna duorum.* s

q Ib Tit 9. c.39.

r L. Bojo. rum Tit. 9. c.2.

s Ibid. Tit. 12. c.8.

t LL Longob. lib. 2. tit. 55. c.38.

Nempe si quis ipse non posset *in campum exire*, forte, si quem *ætas juvenilis aut decrepita, seu infirmitas pugnare prohiberet*, sicut rursum voluit *t* Imp. *Otto*, licebat ei *pro se pugnatorem ponere, & alteri similiter facere*; quem CAMPIONEM *Leges*, ac similiter *Glossæ* Isidori & Pithoei (à *campo*, id est, *pugna*, Kamp seu *duello*, ut Glossæ Germanico-Latinæ) Germani Kämper vel Kämpffer vocant; à quo & *Cimbrorum & Sicambrorum* nomina, postremo hoc quasi See-Kämper vel Sieg der Kämper dicto: *Teutonibus vel à robore & virilitate*, id quod in Germanis ipsis (quos item à *Guerra*, id est, bello, quasi *Guermans* deducunt *Ioh. Gerh. Vossius*, u & *Iacobus Palmerius*) x Marcomannis, Nordmannis, Alemannis, videre est; *vel à bello, pugna & victoria, nomina assumentibus*, sicuti etiam annotavit *VVolffgangus Lazius.* y Neque enim *Plutarchus* hic audiendus, cum in *Vita Marii* inquit: ὅτι Κιμβρους ἐπονομάζουσι Γερμανοὶ τοὺς λῃστάς; id quod *Paulus* ex Festo; *Cimbri lingua Gallica Latrones dicuntur*: Cum, ut rectissime *Scaliger*, a *non magis Cimber Latronem significet, quam Isaurus piratam, Ambro dissolutum ac voracem*: Ipsique quidem Septentrionis reguli, quos *Fylkiskongar*, *populi reges*, ad differentiam verorum regum, quos *Diodcongar*, *gentium reges*,

u Lib. 1. de Orig. Idol. c.37.

x Exercitat. ad Dionis LV. pag. 262.

y Lib. III. de Migrat. gent. p 64.

z Pag. 411. edit. Gr. Lat.

a Castigat. ad Festum pag. 43.

ges, appellatos, scribit *Olaus Verelius*, b quod *maris latrocinium*, etiam Justino affirmante, c *priscis temporibus haberetur gloriæ*, piraticam exercuerint; sed ita, ut ipsis potius apud Romanos *Monozonis*, (qui *Suidæ* οἱ τίμιοι τῶν σρατιωτῶν, καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τοῖς ἄλλοις ζωστῆρα φοροῦντες, ἢ ἀσύντακτοι, καὶ ὡσανεὶ λησαί. *Digniores militum, cingulo eximio à cæteris differentes, ordinem non observantes, & tanquam latrones*) propterea fuerint comparandi; prolixe item eos excusante *Crantzio*, Saxoniæ lib. I. cap. 9. Præsertim cum non † *quosvis imbelles, aut navigatione victum quærentes, obruerent, sed hostes saltim, aut eos, quos scirent hac arte celebres & præstantes, quiq; opum ingentem vim bello maritimo acquisiverant.*

b Notis ad Hist. Gotric. pag. 75.
c Lib. 43. c. 3.
† Wormius lib. 4. pag. 269.

Quamvis, ut ad *campiones* redeam, ejus *conducendi vel eligendi copiam ad reum tantum* restringat *Aventinus*, d ac *criminatorem ipsum pugnare coactum* putet: *Longobardicæ* vero leges e etiam *à parte rei excipiant, qui infra treugam* (pacem vel inducias) *post osculum pacis, aliquem interfecisset, & negare voluisset*: Item, f *qui propter cupiditatẽ rerum, patrem aut mãtrem, aut fratres aut sorores, aut nepotem, vel aliquem suum propinquum, per se aut per alium interfecisset.* Tum & *Regula militaris ordinis*, sive Equitum Auratorum, quos mediæ ætatis Scriptores simpliciter *Milites* appelant, inter alia continebat: *Viduas, pupillos ac orphanos, in eorum necessitate protegere; pro liberatione cujusvis innocentis duellum inire*, ut ex Chronicis Hollandiæ *Auctor Magni Chron. Belg.* g

d Lib. 4. pag. 248.
e Lib. 1. T. 9. c. 38.
f Ibid. Tit. 10. c. 4.
g Tom. III. Histor. Pag. 525.

 Cau-

Causas, ut & exempla Monomachiæ illustria, cum in Commentationibus suis congesserint, quos subjungo, celeberrimi Viri, hic prolixe memorare supersedeo.

h Lib. 2. de monarch. pag. 186. *Recurrebatur ad eam*, verba sunt *Dantis Aligherii*, h magni illius adhuc seculo XIV. patroni, *ne justitia derelicta maneret, ubicunq; humanum judicium deficeret, vel ignorantiæ tenebris involutum esset: adeoq; per eam, de libero consensu partium, non odio, sed amore justitiæ, per virium tam animi quam corporis mutuam collisionem, divinum judicium postulabatur.*

i Annal. lib. IV. pag. 248. Majores nostri, (inquit *Aventinus*, i non minus seculo superiore ejus propugnator strenuus) *magis Deo, quam sibi confisi, plus divinæ justitiæ ejusq; promissis, quam suo ingenio aut sapientiæ innitebantur: potiusq; cœlestibus decretis, quam suis opinionibus stabant. Officiis omnibus atq; actis numen supremum interesse voluerunt, eaq; demum rata haberi, cum divinum auspicium addixisset. Cuncta quasi in theatro superum despectantium, in conspectu Dei Opt. max. geri statuerunt. Proinde in causis ambiguis, maxime criminibus, quæ nullo testimonio humano probari poterant, ad cœlestia beneficia, ad summam majestatem, quæ falli non potest, tanquam ad arbitrum honorarium, & judicem omnium confugiebant.* Quibus addi potest causa triplex, ab *Elia Schedio* ex *Bernhardi Sacci* Historia Ticinensi, libro *de Diis Germanorum* inserta.

k Cap. 46. pag 440 k Prima scilicet, *legum defectus, quibus ambigui casus resolverentur.* II. *Quoniam à majoribus suis in Scandia eum morem receperant, bellisq; assueti,*

inpromtu semper existentibus armis. ut familiarissimam & compendiosissimam æquitatis declarandæ rationem, amplexati fuerant. III. *Ne propter simultates privatas paucorum, gentiles cruenta inter se miscerent prælia.*

Itaque apud ANGLIOS *l* etiam in privatis causis, *à duobus solidis usq. ad maximam compositionem, in furto & vulnere, campus judicabat.* Similiter *homo in furto occisus non solvebatur, sed si proximus ejus diceret, innocentem occisum, campo eum comprobabant innocentem.* m *Qui domum alterius incenderat noctu, si negabat, cum undecim jurabat, aut campo decernebat.* Apud SAXONES *in controversia de terra aliena invasa:* n *Qui terram suam ab alieno occupatam dicebat, adhibitis idoneis testibus probabat, eam suam fuisse, si occupator contradiceret, campo dijudicabatur.* In BAIWARIA *o si quis initiaret messes alterius maleficis artibus, si negare vellet, cum XII. sacramentalibus jurabat, aut cum campione cincto se defendebat.* LONGOBARDORUM moribus, *p si quis puellam aut mulierem liberam, quæ in alterius mundio esset, fornicariam aut strigam clamasset, & perseveraret ac diceret, se probare posse, per campionem causa, id est, per pugnam ad judicium Dei decernebatur.* Quicunque item *veneficii, aut cujuslibet furtivæ mortis, aut de facto, aut de consensu accusatus, negare voluisset; aut per duellum, si liber esset, aut si servus, per judicium ferventis aquæ se defendebat.* q Quod si & *mulier in morte mariti consiliata fuisset per se, aut per suppositam personam,*

l Lex Angliorum Tit. XV.
m Ibid. Tit 7. L. 4. & Tit. 8.
n L. Saxon Tit 15.
o Lex Baiwvar. Tit. 11 c 8.
p LL. Longob lib. 1. Tit 16. c. 2.
q Ib. Tit. 9 c. 39.

ſonam, & illa negâret; licebat parentibus eam purgare, aut per ſacramentum, aut per pugnam, id eſt, per campionem.

Cumprimis obſervari merentur formulæ ſolemnes ac ceremoniæ, in judiciis ante pugnam adhiberi ſolitæ: cujusmodi ſuggerit Lex BAIVVARIORUM, Tit. XVI. *de Teſtibus* & eorum cauſis: *Mendacium juraſti contra me: ſponde mihi pugnam duorum, & manifeſtet Deus,*
r Ibid. ca. 2. *ſi mendacium an veritatem juraſti contra me.* r Pariter ſi quis apud eosdem ſuper hominem mortuum teſtari vellet aliquam cauſam, illi alius poterat contradicere cum duorum pugna, & dicere: *Defendere hoc volo cum campione meo, quod dicis: quia tu mentiris, & tuus teſtis, ſuper mortuum meum.* Apud FRISIONES, s ſi *calumniator, aut ille, cui calumnia irrogata erat,* ſe ſolum ad ſacramenti myſterium perficiendum proferret, & diceret; *Ego ſolus jurare volo; tu, ſi audes, nega ſacramentum meum, & armis mecum contende.* Faciebant illud, ſi eis placeret; *jurabat unus, & alius negabat, & in campum exibant.* Præ omnibus vero eminet ritus, ab iis, *qui de terra ſua contenderent,* in ALEMANNIS ſervatus. t Si quæ nimirum contentio orta eſſet *inter duas genealogias* de termino eorum; & unus diceret: *Hic eſt terminus noſter:* alius revadebat in alium locum, & dicebat: *Hic eſt terminus noſter.* Et Comes, qui præſens erat de plebe illa, ponebat ſignum, ubi iſte vellet, & ubi iſte alius vellet terminum, & *girabant ipſam contentionem.* Poſtquam

s LL. Friſionum Tit. XI. c. 3

t L. Aleman. Tit. 84. ap. Goldaſt & Lindenbrog.

quam girata fuerat, veniebant in medium, & præsente Comite tollebant de ipsa terra, quod Alemanni *Turffodi* dicebant; & ramos de ipsis arboribus infigebant in ipsam terram, quam tollebant: & illæ genealogiæ, quæ contendebant, levabant illam terram, præsente Comite, & commendabant in manu sua: & ille involvebat in fanone, & ponebat sigillum, & commendabat fideli manu, usque ad statutum placitum. Tunc spondebant inter se pugnam duorum. Parati vero ad pugnam, ponebant ipsam terram in medio, & tangebant ipsam cum spathis suis, cum quibus pugnare debebant, & testificabantur Deum creatorem, *ut, cujus esset justitia, ejus esset victoria*; & pugnabant. Qui de ipsis vincebat, ipse possidebat illam contentionem, & illi alii præsumtuosi, qui proprietatem contradixerant, XII. solidos componebant. Quo & consuetudo pertinet, *in homicidii compositione* inter *Laubachi & VViseram* introducta, quæ in FRISIONUM lege Tit. XIV. extat. Qui compositionem homicidii quærebat, unum hominē interpellabat, *homicidam eum proximi sui vocans*, & eum leudem (*mulctam*) occisi debere persolvere. Et ille, si responderet, & diceret, *se velle cum conjuratoribus suis sacramento se purgare*; dicebat ille, qui homicidam eum interpellarat, *se in placito publico eum interpellare velle.* Et ita faciebat. Interpellabat eum in placito coram judicibus; & ille, qui interpellatus erat,

 si ne-

ſi negare non poſſet, alium, quod ſibi objectum erat, homicidii reum oſtendebat, producens hominem, quem vellet, & jurans: *Ille homo homicidii, de quo ego interpellatus ſum, reus eſt;* tenens eum per oram ſagi ſui. Ille autem, ſi hoc ſacramentum negare vellet, jurabat, & contra ipſum cum armis in campum procedebat: & qui in ipſo certamine convictus fuiſſet, & ſibi concredidiſſet, ſolvebat leudem occiſi.

Provocans oblata chirotheca nonnunquam prælium indicebat: Provocatus vero diem ac locum dicebat certaminis. Sic enim *Æneas Sylvius*, qui poſtea *Pius*, Papa ejus nominis II. *Commentario de Statu Europæ* ſub Friderico III. cap. LX. *Alfonſo Renatus*, (cum ipſo de regno Neapolitano contendens) *oblata militari more chirotheca prælium indixit.* Accepit Alfonſus, ſed quæſivit, *ſingularine certamine, an collatis ſignis cum toto exercitu dimicandum eſſet? ſe ad utrumq; paratum eſſe.* Cumque Renatus reſpondiſſet, *univerſi certaminis, cum toto exercitu, fortunam ſe velle ſubire;* Renato renunciavit: *Placere id quidem: ſed quoniam veteri more ejus fuerit, qui provocetur, diem ac locum prælii dicere; ſe cum exercitu inter Acerras & Nolam proficiſci, qui campus lata planitie utrisq; idoneus eſſet; ibiq; eum ad diem octavam præſtolaturum.*

Tom II. Freberi, pag 108.

Nullus aliàs, ex lege Karoli Imp. *a* audebat *hominem ad judicium, id eſt, ad pugnam, mittere, niſi eſſet judicatum.*

a L. Longob. Lib. III. Tit. 13.

Quam-

Quamvis Bavarorum lege *de quocunque reatu accusatus potestatem accipiebat cum accusatore, si vellet, pacificare, antequam pugnam Iudex permitteret*, ut Synodus *Dingolvingensis* apud *Baronium* habet. x Judice consentiente, circuli in modum aliquod terræ spatium designabatur, vel etiam lapidibus circumdabatur, aut hominum adstantium corona circumscribebatur, aut per cancellos ligneos, aut aliud simile, fiebat. Διαμετρεῖν τὸν χῶρον in pugna Paridis & Menelai hoc vocat *Homerus*, Iliados V. Ubi Scholiastes Vetus: y Ἀναγκαίως διεμέτρουν πᾶν τὸ χωρίον, ἐν ᾧ ἔμελλον μονομαχήσειν, ὥστε μὴ μόνον τὸν διὰ τῶν ὅπλων ἡττηθέντα νενικῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀπολιπόντα τὸ ἀποδεδειγμένον χωρίον. Necessario ejusmodi locum ad monomachiam designatum fuisse innuens, *quod non tantum detrimentum causæ pateretur*, ut inquit Saxo, z *qui victus esset, sed & qui relato pede prænotati orbis gyrum excederet*: quod in re athletica fuisse ὑπερβαίνειν τοὺς τεταγμένους ὅρους τῆς γῆς καὶ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ὅρια πεδᾶν, *de scammate & loco certaminis egredi*, ut B. *Hieronymus* a ad Pammachium reddit, præter *Pollucem*, b *Eustathius* quoque nos docet, etiam ab eruditissimo *Fabro* in Agonistico c propterea citatus. Quemadmodum & gladiatoribus apud Romanos laudi datum, ut *Tertullianus* effert, *stetisse in gradu*, vitio *cessisse de gradu*: Qui & hoc ipsum, de quo sermo est, licet aliò deflexum

x Ad Annum Christi 772. num 9.

y Pag 69. edit. Basil. 1551.

z Lib 5. pag. 86.

a Tom. 1. pag. 240. edit Paris. 1602.

b Lib. III. cap. 30.

c Pag. 113. edit. Lugd. 1592.

xum

xum lib. I. adversus Marcionem elegantissime exprimit: *certus se lineis includere, infra quas cum adversario congrediaris.* *Circulare* vel *circuare* vocat *Saxo*: d ex quo etiam colligere est, pugnaturos nonnunquam *areas quadratis lapidibus designasse*; atque adeo, si *insulæ* in vicinia essent, *ita aquarum ambitu vallatæ*, e ut utrimque in ripa adversa pugnæ ratio ac modus spectari posset, in easdem illos concessisse, ac singulari certamine congressos: sicut & apud *Dithmarum* Mersburgensem f *VValdo* quidam, & *Gero*, ultimus Comes de Alsleben, fecisse memorantur: & *Henricus IV.* in propria causa, à quodam *Udalrico de Cosheim*, & altero *Regingero*, criminatore ipsius, *prope Moguntiam in insula Rheni, Marouua dicta*, teste *Lamberto Schafnaburgensi*, g voluit fieri. Lege quoque duelli cautum erat, *ne alter alterum extra circum, pugnæ destinatum, impeteret*; ut est in Additionibus apud *Olaum*, h ex *Iohanne Magno.*

d Lib. III.

e Lib IV. pag 65.

f Lib. III. pag. 50. edit. Helmst.

g Pag. 496. edit. Argent. 1609

h Pag 641.

Pugnæ præerat *Iudex* seu *Præses*, cui incumbebat i *providere cum aliorum consilio, qui una inveniebantur præsentes, ne campio in pugnando fraudem adhiberet, aut segnitiem manifestam*; si scilicet pro alio pugnaret. Item, k *ne haberet super se herbas, quæ ad maleficia pertinerent, nec alias tales, aut res similes*: vel ut in Synodo statuitur Bavarica, *Ne forte carminibus, vel machinis diabolicis, vel magicis artibus insidiarentur.* Ipse campio, *tradens manum in manu parentis aut conliberti sui, satisfacere ante judicem &* dice-

i Constit. Sic. lib. 2. Tit 37. c 3

k L. Longob. Lib. 2. Tit 55. c. XI.

dicere jubebatur, antequam ad pugnam vaderet, quod nullam talem rem, quæ ad maleficia pertineret, super se haberet: quomodo & *Athletæ*, auctore *Pausania*, m in ludis Olympicis ante simulacrum Jovis, quod ad terrorem pejerantium tenebat in utraque manu fulmen, jurabant quondam, *μηδὲν ἐς τὸν Ολυμπίων ἀγῶνα ἔσεσθαι παρ᾽ αὐτῶν κακούργημα*, *nihil se fraudis facturos, quo minus Olympici ludi rite fierent*, ut *Amasæus* vertit. Jurabat etiam is, n qui *compellabat, quod non asto animo alterum per pugnam fatigare quæreret, nisi quod certam haberet suspicionem, sive de furto esset, sive de incendio, aut unde ista compellatio ageretur*. Consimili modo id tenebantur facere, qui pro aliis pugnabant: o *& postquam circulum pugnatorium fuissent ingressi, corporalia subire sacramenta, quod juxta probabilem suam credulitatem crederent, Dominos, pro quibus pugnam intrabant, veritatem fovere, & non per calumniam vel astum ad accusationem propositam, vel defensionem adhibitam processisse*. Tum, *quod cum omni virtute ac potentia, studio & vigore, partes, pro quibus pugnabant, vellent adjuvare*.

m Lib. V. pag. 336.

n LL. Longob. lib. 2. Tit. 55. cap. 15.

o Constit. Sic. Lib. 2. Tit. 37. L. 1.

Provocans progredi alterum jubebat, *& si quid virium sit, solitario secum experiri congressu*; non aliter, ac *Æneas*, cum *Turno* congredi gestiens, *sævo sic pectore fatur*: p

Quæ nunc deinde mora est, aut quid jam Turne retractas?
Non cursu, sævis certandum est cominus armis.

p Virgil. XII. Æn. vers. 891.

Verte omnes tete in facies, & contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales.

Duos vero *cum uno decernere, ut iniquum, ita & probrosum apud veteres credebatur.* q

q Saxo lib. 4. pag. 62.

Arma, quibus instructi procedebant, non apud omnes erant eadem. *Galeam, clypeum, ensem & hastam* apud *Danos* usurpata, refert Olaus v Vormius. r *Clavæ* sæpius meminit *Saxo*, quam & antiquissimum, & forte omnium primum fuisse teli genus, ex eo constare putat *Philippus Cluverius*, s *quod Herculi bellatorum primo nihil aliud armorum tribuerit antiquitas.* Eas vero interdum *ære, ferro*, aut *claviculis ferreis* obductas, notat *Stephanius* in laudatis ad *Saxonem* Observationibus: t uti &, quod *Gramus* rex clavam suam, qua Sigtrugum occidit, *vel auro infuso* ponderosiorem effecerit, *vel aureo globo* muniverit, vel *aurea lamina* undique secus obduxerit. Nam in eo variant Historici ab illo adducti. Ejusmodi *clavas*, etiam *Fridericus II.* Imp. in Constitutionibus Siculis, u *campiones habere jussit æquales, non spinosas, nec cum aguzonibus, nec habentes cornua, nec ex parte fustis, ad modum unguis.*

r Lib. I. Monum. Dan c. X.
s Germ Antiq. lib. I. pag 303.
t Pag. 17.
u Lib 2. Tit. 37. c I.

Spatham ab *Alemannis* fuisse adhibitam, in supra citata ipsorum memorabili consuetudine vidimus: ubi familiæ de limitibus inter se litigantes, jubentur terram ante solemniter effossam, atque asservatam, ante pugnam cum spathis suis tangere, atque jurare. Titulo

etiam

etiam XLV. ipsorum Legis, conceditur *homini libero, cui alius liber aliquod mortale crimen imposuit, cum tracta spatha se idoneare contra illum alium*; quod lege illorum IC. est, *cum tracta spatha se defendere.* RIPUARIOS quoque ea usos, indicat eorum Lex IV. Tit. 32. Spatham vero fuisse gladium latum & amplum, ex *Isidoro*, x ab eo *quod spatiosa sit*, eam derivante, conjicias: cujusmodi *nudam ante tribunal Karoli M. more imperiali latam*, scribit *Turpinus*; & jam olim *Gallos pro ensibus* habuisse *oblongas ex catenis ferreis aut æneis, in dextro femore oblique dependentes*, testis est *Diodorus*. † *Gellius* 7. simpliciter inter gladiorum vocabula refert; uti *Vegetius* lib. I. cap. XV. inter gladios *majores*, quos *spathas* vocabant, & *minores*, quos *Semispathas*, distinguit, Quod tamen nec Hesychius observat, cui σπάθη simpliciter μάχαιρα & ξίφος est. Unde & *Spatharius*, *ensifer*, *satelles*, ὁ σωματοφύλαξ (à quo alius est *faber spatharius* in Alemannicis LL. cap. 78.) & *Protospatharius* apud *Codinum* in Officiis Aulæ Cpolitanæ; atque apud *Cyprios* quondam celebris fuit *Spathæ Ordo*; a & apud *Luitprandum* b *Adelbertus*, Thusciæ præpotens Marchio, eleganter dicitur μακροσπαθής, μικροπιστής; quod longo quidem uteretetur ense, sed minima fide: uti & *Guilielmus*, *Henrici Leonis filius*, *Ottonis IV. Imp.* frater natu minimus, à quo Serenissimi Brunsvicensium & Luneburgensium Duces originem ducunt; Gervasio Tilberiensi c *Longaspatha* appellatus.

x Lib. 18. c. 6.

y Cap. 10.

† Lib. V. cap 30.

z Lib. 10. c. 15.

a Miræus Orig. Equest. lib. 1. c. 10.

b Lib. 2. cap. 2.

c Pag. 81. edit. Helmst. 1673.

Fu-

Fustium atque scutorum frequenter mentionem injiciunt Leges *Longobardorum* & *Saxonum*, Capitula quoque *Salicæ Legi* adjecta, & *Capitulare Karoli & Ludovici* Impp. in quibus reperias: d *Causam sub uno scuto per pugnam dirimere*: e *sub uno scuto per unam pugnam omnem suam substantiam amittere*: f *contra unum ex accusatoribus cum scuto & fuste in campo contendere*, g *in campo cum fustibus pariter contendere*.

Manibus quoque vel morsu, h *vetustissima illa, etiam ante ferri & armorum usum, certandi ratione* (licet hoc Græcorum Gymnicis legibus legatur prohibitum, & qui hoc facerent, κακομαχεῖν, secundum Lucianum, i dicerentur) sese mutuo campiones læsisse, docere nos iterum queant Constitutiones Siculæ: k in quibus *pugilibus expresse inhibetur, quod se non debeant invicem affidare* (fidem suam alteri obstringere, explicat Vossius l) *quod manibus, vel dentibus, vel modis, quibuslibet poterunt, alter alterum non offendat; sed unus ad confusionem alterius toto posse conetur.*

Defendentis, juxta easdem Constitutiones, m *erat electio, qualiter melius se defendere valeret, ab alio impetitus. Unde si miles esset is, qui pugna impeteretur, & eques se vellet defendere, adversarius ejus, quamvis miles non esset, eques similiter necesse habebat ipsum impugnare.* E contrario, *si pedes esset, qui se defendere nitebatur; licet is, qui pugnam offerret, esset miles; non ut miles, sed ut quivis alius* pugil,

d LL. Longob. Lib. 2. Tit. 55.
e Ibid. lib. 2. Tit. 9. c. 23.
f Ibid. Lib. 2 Tit. 25 c. 76.
g Ib. Tit. 55. c. 23.
h Donatus in Prol. Hecyræ.
i In ulta Dem> nactis Tom. 1. pag. 1012
k Lib. 2. Tit. 37. c. 2.
l Lib. 4. de Vit. sermo. p. 677.
m Ib. cap. IV.

pugil, accusatum cogebatur aggredi. Rursum, *si is, qui pugnam obtulerat, læsus esset in aliqua parte sui corporis,* Rex Fridericus nolebat *eum, qui pugna impeteretur, in ullo minorari.* Cæterum, *si impetitus forte læsus esset in quacunq; parte corporis, quæ esset necessaria ad pugnam, is, qui eam obtulisset, in ea parte debilitare se debebat, in qua debilitatus erat, cui duellum offerebatur.* Veluti, *si unum tantum oculum haberet duello impetitus, is qui pugnam offerebat, aliquibus diebus antea tenebatur apposito sibi aliquo claudere, in quo pati dignosceretur accusatus. Similiter & in digitis, & in membris aliis id voluit obtinere, juxta proborum virorum consilium, & discretionem providam judicantis.*

Qui ætatis annum *sexagesimum* tetigisset, n & qui nondum *viginti quinq; annorum curricula implevisset*, per se pugnare minime tenebantur, sed poterant *ad defensionem suam, non cum alios impeterent*, subjicere campiones; *ne ætates, in altero naturali frigescente calore, virtutum in altero robore non impleto, non tam incerto, quam periculoso pugnæ judicio, relinquerentur.* n Ibid.

Provocatus *prior ictum intendebat*, o atque sic *per vices* manum conserebant: tametsi *antiquitus crebræ ictuum vicißitudines non peterentur, sed esset cum intervallo temporis etiam feriendi distincta succeßio; rarisq;* (quod veterum enses tam pondere, quam acie præstarent) *sed, atrocibus plagis certamina gererentur; ut gloria potius* o Saxo Gram lib. 1

D per-

percussionum magnitudini; quam numero deferretur. Plane ac Turnus cum Pandaro confligens, p *sublatum alte consurgit in ensem;*

p Virgil. IX. Æn.

Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesq; immani vulnere malas.

Id quod ibi *genus feriendi Gallicanum* explicat Servius, q *regressosq; paululum*, ex Sallustio, *& loco cessisse*, vult, *ut eo facilior esset ictus.* Nisi propterea Gallos recessisse velis, ut, quoniam r *ob mollitiem ferri istius regionis, ipsorum enses facile recurvabantur & ad pugnam erant inutiles, pede ipsos* possent *corrigere*, & ad alterum ictum habiliores reddere: quod illis faciendum fuisse, ex *Polybio* monet *Suidas.*

q Pag 1424 edit. Basil. 1613.
r Polyænus lib I X. num. 2.

Stabat in circo *feretrum cujusq; ex more*, ut diserte *Sigismundus* quidam, in Chronico Augustano à *Pistorio* edito, s sub finem: ubi *duellum* anno 1409. Augustæ Vindelicorum *factum esse*, ait, *inter Marschalcum & Hachsenacker*, in quo Marschalcus, *cum prostratus esset, & à suo adversario interrogatus, si fortuna sibi favisset, quid agere vellet? dixit, se interfecturum hostem suum. Quod & mox*, inquit, *Hachsenacker in eum fecit, seq; portari fecit in feretro suo, quod illic stabat ex more, quod etiam Libitinam, dicunt, ad Ecclesiam S. Vdalrici, agens grates*: uti apud *Danos* inter pugiles obtinuit, t ut, *priusquam certamen inirent, paciscerentur inter se utrinq;, quod victor honestam sepulturam victo procuraret*: sive, ut loquitur

s Tom. III pag. 614.
t Stephanius I otis in Sax. pag 38

Saxo

Saxo lib. III. *victum victor inferiis prosequeretur, eiq; gloriosum esset, victi funus magnifice ducere.*

Senatus, populus atque Sacerdotes, qui spectatum frequentes venerant, interim *divinam opem implorabant; beneficia memoriter commemorabant, quæ in simili negotio Deus immortalis, Christus servator noster, ipsis pro sua benignitate ac clementia contulisset. Admonebant promissorum, exempla recitabant, comprecabantur, ut summa potestas in re præsenti pollicita, sicuti hactenus semper factitasset, re comprobaret; & quæ sua esset justitia, innocenti adesset, victoriamq; cælitus concederet*; sicut è *Lege Salica* se didicisse profitetur jam aliquoties à nobis productus *Aventinus*: u ut inde conjectu haud difficile sit, etiam hic adhibitas fuisse certas precationum formulas, ut *in Aquæ ferventis, & Ferri igniti Ordaleis*, apud *Goldastum* Tom. II. Antiqq. Aleman. pag. 178. & *Fridericum Lindenbrogium* in Codice LL. Antiquarum, cum aliis ejus notæ, extantibus.

u Lib. IV. Annal. pag. 248.

Campio x *in pugnando fraudem adhibens, aut segnitiem manifestam, ut Præsidi pugnæ melius se defendere potuisse videretur; siquidem is, pro quo pugnabat, mori debuisset, similiter mortis periculum incurrebat. Sin vero is, cujus causam agebat, periculo capitis non succumbebat, manum, velut alius scienter perjurus, amittebat.* Cui pœnæ juxta Baivvariorum Legem y etiam subjacebat *servus, qui in curte Ducis, sive ubicunq; pugnarent campiones, manus ad levandum*

x Constit. Sic. lib. 2. Tit. 37. L. 3.

y Tit. 2. cap. 12.

mit-

mitteret (sive eos conareretur separare) *antequam ille jubéret, cui commendatum erat prævidere: ni dominus ipsius cum XX. solidis redimeret.* Pari ratione Longobardorum instituto, z *Campioni, qui convictus esset propter perjurium, quod ante pugnam commiserat, dextra manus amputabatur. Cæteri vero ejusdem partis testes, qui falsi apparuissent, manus suas redimebant, duabus ejus compositionis partibus ei, contra quem testificati fuerant, cedentibus, tertia pro freda* (mulcta) *soluta.* A quo non procul abit *Burgundionum* Lex, Tit. LXXX. jubens, *ut de testibus, qui pro quacunq; se parte tulerint, si ad conflictum causæ descenderint, & divino judicio falsus ibidem relator occubuerit,* CCC. *solidos omnes testes partis ipsius, à qua parte testis superates est, cogantur exsolvere.* Campio denique apud Siculos a *devictus, ad faciendum denuo cum alio bellum non admittebatur, nisi pro se: non cum ipse impetebat alium, sed cum ab alio esset impetitus.*

z LL. Longobard lib. 2. Tit. 51. & in Capp. Legi Salicæ adjectis cap. 1.

a Constit. Sic. lib. 2. Tit. 37. cap. 1.

Et vero nec ab *Islandiâ*, quamvis nostro procul axe remota, consuetudinem illam cessasse perhibet *Arngrimus Ionas.* b Nam ibi *victor, qui adversarium in hujusmodi cruento certamine neci dederat, omnium bonorum victi hæres evadebat: sed ita, ut parta victoria è vestigio taurus immunis produceretur, quem si victor unico ictu non interfecisset, victi cognatis contra ipsum agendi jus esset.* Uti & in *Moscovvitarum* gente, testante *Olao*, c obtinuit, *ut, licet uni parti adjudicaretur causa, tamen sententia non haberetur*

b Rer. Island. lib. 1, 19.

c Histor. Gent. Septentr. lib. 4. cap 20.

retur rata, nisi etiam partes ipsam fortunam, summum illorum rebus finem imponentem, duello fuissent experti. Apud SAXONES nostros, *quilibet homo duellum poterat sibi in generatione deteriori sed non deterior meliori denegare. Negare etiam poterat quis duellum, si post meridiem inferretur, nisi prius esset initiatum. Iudex clypeum cum gladio reo, si indigeret, ordinabat. Duellum etiam cognati inter se poterant denegare. Iudex cuiq; duos præbere tenebatur, qui viderent, ut secundum consuetudinem præpararentur. Quantum vellent de corio & lineo induebant, dummodo frontes ac pedes manerent enudati. In manibus non nisi simplices habebant chirothecas. Nudum in manu quilibet habebat gladium, & cum uno, vel pluribus, secundum arbitrium cujusq; præcingebatur. Clypeum ligneum corio tectum, & non nisi nimbo ferreum, in manu ferebant, & unam tunicam induebant, cujus manicæ usq; ad cubitum terminabantur. Iudex circulo pacem, ne quis eos impediret, per punitionem capitis demandabat. Cuilibet eorum Iudex unum, qui arborem ejus ferret, ordinabat, qui ferentes neminem illorum ullatenus impedirent: sed si quis eorum cecidisset, vel fuisset vulneratus, vel arborem petiisset, & Iudex hoc licentiasset, arborem interponebant. Postquam circulo erat pax nuntiata, tunc petere debebant circulum à Iudice licentiari; quem eis Iudex licentiabat. De vaginis ferrum auferebant, nisi hoc eis à Iudice concederetur. Ante judicem accedere debebant præparati & jurare; actor videlicet, quod illa accusatio vera*

raesset, & reus, quod innocens esset, ut sic Deus eos adjuvaret in suo duello. Splendor solus eis dividebatur, quando procedebant. Si reus vinceretur, condemnabatur; Si vero vinceret, donata sibi ab actore emenda, & Iudici mulcta, absolvebatur. Actor in circulum prior veniebat, & si reus protraheret, Iudex eum tribus vicibus per praeconem in domo, in qua praeparabatur, adhibitis duobus bannitis evocabat; & si tertia vocatione non veniret, actor surgendo, se duello praesentabat, & verberando contra ventum eum superabat: & Iudex eum, tanquam duello esset superatus, condemnabat : Ut quidem in *Speculo Iuris Saxonici*, Artic. 63. qui circa confinia seculi XII. & XIII. vixit, *Ecke* sive *Epko de Repkavv*, à vicino nobis pago *Repke*, (ita etiam magno c *Conringio* censente) sic cognominatus, consignatum reliquit. A quibus, uti & superioribus ritibus, non abludunt, qui in memorabili duello duorum nobilium Hispanorum, praesente Carolo V. anno superioris seculi XXII. Valledoleti, II. Kal. Januarii suscepto, *pro regni Arragonici & Castellani more sunt adhibiti*, priscam illam Gothorum consuetudinem extra dubium referentes: ut eos artificiose plane, atque cum omnibus circumstantiis suis descripsit in laudatissimi Imperatoris Vita *Pontus Heuterus*, Meditationibus vero Historicis suis inseruit *Philippus Camerarius*. d Illam nempe *certaminum severitatem Hispanis admodum familiarem fuisse, adeo ut Caesar Maximilianus, Princeps alioquin* *Eccle-*

c Lib. de Orig. juris Germ. cap. 30.

d Centur. II Medit. Hist. cap. 31.

Ecclesiasticæ disciplinæ observantissimus, nobilissimis duobus Hispanis tandem duelli campum aperuerit diu negatum, morem scilicet gentis edoctus rescripto regis Ferdinandi, avi materni Caroli V., Jacobus quoque *Spigelius* observavit, notis ad lib. VII. Austriados *Roberti Bartholini*. e

e Pag. 593. edit. Reuberi.

Duellorum indicia fuisse saxa, eo loco posita, ubi Campiones occubuerant, ex *Adamo Bremensi* f liquet; apud quem *Biurgvvido* quidam *fecit duellum ad vadum Agrimes VVedel, contra campionem Slavorum, interfecitque eum: ubi lapis in monumentum positus est.* Quem morem, quin & nostrates observarint, propter tot monumenta lapidea, vel hisce *Brunsvigiis* in oris extantia, dubitari vix potest, cum & ipsa hæc, in qua dego, *Scheninga*, ante portam Septentrionalem, loco, qui forte à strage & sepultura Hunnorum *sub Henrico Aucupe*, cujus commonet nos *Chronici Saxonici Auctor* ad annum 927. adhuc vulgo der Heyden Kirchhoff / sive *Coemeterium Paganorum*, dicitur, conspiciendum præbeat ejusmodi lapidem, in quo, parte, qua Occidentem spectat, apparet Vir, totus *Harnascha* vel *Halsperga*, ut sequioris ævi utar vocabulis, monitus, supra quem manus è nubibus protenditur, cum hac inscriptione:

f Lib. 2. Hist. Eccles. cap 3.

WILCKE DE AMPLEVE HIC REQUIESCAT. ✠. ANNO DOMINI MCCCLXVIII.

Neque

Neque enim causa dari poteſt, cur viro tam nobili, arctâ absque dubio cognatione contingente *Fridericum de Ampl.ve, Militem*, id eſt, Equitem auratum, qui citatur teſtis in literis *Alberti Ducis de Brunſvvich*, datis in caſtro *VVulfflebütle*, anno Domini 1307. & *Iohannem de Ampleve*, qui Herr Jan von Ampleven / de ehrhafftige Ridder / vocatur in literis *fratrum Heimburgiorum*, anno 1315; quorum ſedes hæreditaria tum temporis, præfectura hodie *Ampleve*, altero abhinc milliari *Brunſuigam verſus*) loco illo, viæ quæ *Helmſtadium* ducit, proximo, monumentum ſit erectum, niſi vel duello ibi, vel alio lamentabili caſu perierit.

Nimirum & in ſolemni illo apud *Roncalias* conventu, *campo* videlicet *ſuper Padum, non longe à Placentia, in quo reges Francorum & Teutonicorum, quotiescunq; adſumendam Imperii coronam militem ad transalpizandum* (quæ *Ottonis Friſingenſis* g verba ſunt) *cogerent, manſionem faciebant*, quem vulgo *Rungalle*, ſive *Curiam Gallorum*, ut eſt in Conſtitutione, *h* Carolo III. à multis tributa, dixere: (ex quo potius cum *Franciſco Iunio* i à Gothica voce *Runa* conſilium, quam cum *Andrea Rivino* k à Romwallen / ut æquipolleat Expeditioni *Romanæ*, dem Römerzug / deduxerim) obtinuiſſe ejusmodi in certis cauſis monomachiam, tam *Radevicus*, Ottonis Sacellanus, & Vitæ *Friderici* continuator, quam hujus ſectator & interpres elegantiſſimus *Guntherus*, l produnt; cum hujus ſint ſequentes verſus: *Vul-*

g Lib II. de geſtis Friderici. cap. XII.
h Edidit. Cluten. 1627.
i In Gloſſar. ad Cod. Evang. l. Goth. pag. 285.
k In Majumis & Maj campis cap. 8.
l Lib. VII. Ligur. ve. ſ. 259.

Vulneris aut cædis convictus voce duorum,
Qui modo non fuerint violato sanguine juncti,
Hic caput, ille manum perdet. Si teste carebit
Altera pars, facinusq; volet formidine pœnæ
Abjurare reus; poterit jurare. Volentem
Quilibet oblato licite reprobare duello,
Passurus similem non ficto crimine pœnam.

Quod alter ille: m *Qui aliquem vulneraverit, & hoc se fecisse negaverit, tunc si vulneratus per duos veraces testes, non consanguineos suos; illum convincere potest, manus ei abscindatur. Quod si testes defuerint, & ille se juramento expurgare voluerit, accusator, si vult, potest juramentum refutare, & illum duello impetere.*

m Lib. I. cap. 16.

An vero & *Majicampus*, vel *Madius campus* (voce *Madius* seculi more pro *Majo* sumta) qui aliquibus etiam est *Martis campus*; quo sub Francorum quondam Regibus atque Imperatoribus denotabatur similiter *synodus, placitumq; publicum*, vel *curia generalis*, Kalendis Maji haberi solita, à *campo*, hoc est duello, sit denominatus, cum CL. Boëclero n haud equidem dixerim. Uti nec eò pertinere reor, à Goldasto o commendatum oppidum Meyenfeld. Cum hîc quidem *singulis annis mense Majo*, ut iste inquit, *sub tiliis in campis apertis, Missi* sive Legati Regum Francorum, *mallos publicos celebrarint*; ut tum non minus alibi, quam etiam nunc, *judicia sub dio* unter dem freyen Himmel / celebrari usitatum erat; illic vero familiæ Merovingicæ reges, à

n In Karolo M. pag. 14.
o Tom. I. Rer. Alem. part. 2. pag. 11.

 pri-

p Sigebert. ad annum 662. pristina majorum fortitudine degenerantes, & *p principantes quidem secundum genus, sed nihil agentes vel disponentes, quam irrationabiliter edentes & bibentes, domi manentes*, solerent *Kalendis Maji præsidere cum tota gente, q plaustro bobus eò trahentibus vecti, ac salutare & salutari, obsequia & dona accipere & rependere*: Pipino, Carolo, Ludovico, nihil minus, quam hujusmodi, stato illo die deinceps suscipientibus, sed prout regni requirebat usus, modo hoc, modo alio tempore & loco, synodos sive placita sua tenentibus; nedum ut ullibi ea duellorum gratia instituta deprehendas.

q Annal. Pithoei ad an. 751.

Neque etiam hæc propria *campi* significatio est, sed sive *à capiendo* dicatur, *quod animalium seu rerum aliarum multitudinem facile capiat*; ut *Perottus* vult; *r* aut *quod primum ex agro plano fructus caperentur*; ceu *Varroni* placuit: *s* sive potius assentiamur *Scaligero*, Varronem irridenti, *Siculosq.* dicenti, † *circum aut hippodromum καμπὸν vocasse, à flexu equorum & quadrigarum, quæ ibi certabant*: satis patet, locum planum & spatiosum propriè campi nomine fuisse insignitum. Sic enim & τὸ πεδίον (qua *Septuaginta* t utuntur in narratione cædis Abelis, à Caino patratæ) dicitur juxta *Auctorem Etymologici M.* ἐπὶ τῶ ἀναπεπλαμένω, καὶ ἐπιμήκως τόπω, *de expanso & oblongo loco*: quem rectè vertit *campum Patritius Iunius*, in Epist. *Clementis* ad Corinthios, *u* cum Cainum fratrem sic allocutum ait: *Transeamus in campum*

r Ad Martial pag 169

s Lib. 4. de LL. pag 11. edit. Dord.

† Pag 16 in Conjectan. ibidem.

t Genes IV. vers. 8.

u Pag 6 edit. Oxon.

pum

pum, εἰς τὸ πεδίον· *Et factum est, dum essent in campo, ἐν τῷ πεδίῳ, surrexit Cain super Abel fratrem suum, & occidit eum.* Qua item ratione ille *Martius*, eique adjacens *Agrippæ campus*, quorum cum pluribus aliis *Marlianus* meminit, x dicebatur Romæ; & *Campus lapideus* inter Rhodanum & Massiliam; tum *Mentitus Campus* in Historia Ludovici; y Ex quo, quod bella vel duella in ejusmodi planis, vel exercituum, vel multorum hominum, capacibus susciperentur locis, posterior illa; atque huc pertinens, exorta significatio est; ut *pro bello* sumi ex *Claudiano*, & *Valerio Flacco*, jamdudum ostendit Nobiliss. *Barthius*, z idque *tam Gallos, quam Hispanos, Italosq; adhuc retinere*, ait: à duelli vero notione superesse adhuc phrases kämpflich klagen/ pro eo, quod est, *criminaliter accusare*; & kämpflich grüssen/ hoc est, *ad discrimen vitæ solemniter provocare*, in Lexico suo Juris, sub voce *Duellum* notavit JCtus insignis *Simon Schardius*.

x Topographiæ Cap. III lib. V.

y Ad annum 833.

z Adversar. lib. 25. cap. IX.

Et optime quidem factum; quod jamdudum abolitum est, crudele illud probationis genus, *ut nec virium quidem aut roboris, nedum æquitatis & innocentiæ, ullam indicaturam præstare valens*, ceu alicubi scripsit Vir magnæ eruditionis *Ioachimus Vadianus* a Quam enim placuerit Imperatori sapientissimo *Friderico II.* quem tamen in certis casibus illud tolerasse audivimus, ipsius arguit Constitutio, b *qua non tam veram probationem,*

a Lib. 1. de Colleg. Tom. III. Goldasti pag 10.

b Constit. Sic II. Tit. 32.

 quam

quam divinationem quandam, id ipſum ſtatuit, quæ naturæ non conſonans, à jure communi deviet, æquitatis rationibus non conſentiat: quod vix aut nunquam duo pugiles inveniri poßint ſic æquales, ut vel in totum non ſit alter altero fortior, vel in aliqua parte ſui vigore majore & potiori virtute, vel ſaltem ingeniis alter alterum non excedat. Idem merito aliquot ante ſeculis graviſſimo Lugdunenſium Præſule *Agobardo* peculiari ſcripto improbante, demonſtrante que (ut uſurpem identidem *Ephemeridum Gallicanarum*, de poſtrema illius editione, ab Illuſtri Dn. *Baluzio* procurata, judicium ferentium, verba à politiſſimo Dn. Nitſchio de Gallico verſa, c) *Deum, licet innocentes ſæpe favore proſequatur, tamen in favorem ipſorum non ſemper edere miracula; ſed permittere ſæpius, ut ſontes deportent victoriam; & hoc propter rationes nobis incognitas, propterea tamen non minus juſtas.* Modo abrogata una eſſet, vel exſtirpari penitus poſſet, & altera illa duellandi ratio, quæ *redimendi honoris*, ut opinantur, *gratia* à leviter nonnunquam injuria affectis, adhuc ſuſcipitur; nec in noſtros & aliarum gentium, mores receptum eſſet, quod de Nobilitate Gallicana queſtus aliquando eſt Iſaacus Caſaubonus. *Fuit*, inquit, d *& illud veteribus ducibus genus μονομαχίας non incognitum, cujus quotidie exempla eduntur à male conſulta nobilitate Gallica. Rixæ inter nobiles ex levibus ſæpe offenſis cientur. Offenſam condonare & ignoſcere, quod ſapientes magna-*

c Ephem. XXIV. anni 1666. pag. 273.

d Animadverſ. in Athenæum lib. 4. c. p. 13.

nimitatis proprium putarunt, turpe & ignominiosum habetur. Vnicum hodie nobilitatis sinceræ specimen est, suum jus armis persequi. In hoc cardine vertitur summa illorum existimatio, & is quem falso honorem vocitant. Qui injuriam parvam magnam sibi factam arbitratur, illius auctorem ad singulare certamen provocat. Concurritur: horæ momento alter ambove mutuis vulneribus pereunt. Certissimum est, nullum seculum ex veteri historia nobis cognitum, adeo crebra hujus insaniæ exempla vidisse, atq; hoc nostrum plane ferreum. Quasi vero, ut Piccolomineus ait, e *injuria ab altero affectus, eo ipso honoris quoque sui jacturam faciat: quasi læsus honor hoc beluino congressu reparari queat: quasi non & honor & conscientia gravissime lædatur.*

e Apud Beneggerum, d.l.

Interim in *Germania* urbes quasdam privilegio hoc peculiariter gavisas (nisi hoc ab altero illo more profluxerit) ut duella à Nobilibus *honoris & existimationis* ergo, umb Ehr und Glimpf / suscepta, coram Magistratu suo peragerentur, ex *Sebastiano Münstero* patet, qui libro *Cosmographiæ* suæ *tertio*, f describens formam monomachiæ, quæ *Halæ Suevorum* obtinuit, non intermittit etiam montionem judicii in *VVirtzburg Franconiæ*, & *Anspach* prope *Noribergam*. Lotharingiæ vero Ducem *prætendere ad se antiquitus spectare, quod, quicunq; inter Mosam & Rhenum DVELLARE velint, hujusmodi duella coram se fieri debeant, & non alibi consummari*; est in Formula Investituræ ejus Ducis sub Rudolpho

f Pag 808, & seq.

 dolpho

polpho II. anno 1609. inserta à *Conringio* Libro de Imderii Germanici Finibus, pag. 733.

Veteres *Bajoarios* priorem illam Monomachiam appellasse *VVehadinc* (pro quo male *VVenhadinc* apud Baronium dicto loco) argumento est ab hoc eodem producta *Dingolvingensis* Synodus, quam & *Henricus Canisius* una cum *Victoris* Tunnunensis Chronico *Ingolstadi* edidit; g non quidem, ut eo indicetur *sacra sponsio singularis certaminis cum aliquo*, à *VVeiba* vel *VVeibe*, sacer, & *Ding* sponsio, ut Vossius sensit: h sed ut potius legendum videatur *VVehrdinc* à *VVerra* pugna, bellum, duellum, ut *Kero Augiensis* in *Synonymis* hæc ipsa conjungit; & vocabulo Germanico *Thinc*, quod populi concilium significasse Adamus confirmat: i sicuti & in patria mea *Hannovera*, judicium adhuc est, quod Aechte Tink vulgo appellitant, in *Marchia* vero *Vetere* Löddink & Böddink; atque hîc Scheningæ, attestantibus Woldemari Marchionis Brandeburgensis literis, à CL. Meibomio k in *Irmen sula* citatis, olim Godink vel *Govvdink* fuit; voce *Govv* pagum denotante, in quos & *Saxonia* quondam erat divisa.

Spatium, in quo dimicabatur, l antiqua lingua Danica dicebatur *Holmur*: unde in Glossario Islandico, atque Indice *Olai Verelii* ad Historiam Otrici & Rolfonis, *Holmganga duellum*, *Holmgangumadr monomachus*,

g Anno 1600. pag. 133. & 56.

h Lib. II. de vitiis serm. cap 29. pag. 335.

i De situ Daniæ cap. 85.

k Pag. 24. Edit. Helmstad. pag 1660.

l Stephanius pag. 98 in Notis ad Saxonem.

voce

voce *Madr virum* ſonante, ut & in aliis ibidem compoſitis, *Blotmadr* ſacrificiis deditus, *Veidimadr*, qui & ibi *VVeidimandur*, Venator, *Hermadr* miles. Quod vero palos ex certa arbore ſolo in circuitu impingerent, campum hac ratione metantes, illorumq; materia corylus eſſet arbor, inde hos vallos *Heslis Steingur* vocitaſſe Islandos, & *Heslisvoll* campum duello deſtinatum, & *ad Hesla*, in campum gladiatorium provocare; itidem *Stephanius* ex Conjectaneis *M. Brynolfi* ad jam dictum Gloſſarii locum expromſit. Latine rectiſſime dici *ſingulare certamen*, cum &, qui in eam pugnam deſcendit, *ſingularis* appelletur; & Gloſſæ veteres *ſingularem* interpretentur μονόμαχον, ἀπόκοπον, quod nomen etiam Latini tribuant *apro*, (qui Saxonibus *Kempe* à pugnando) ut Græci eum μονιὸν, Galli *Sanglier* quaſi *ſingularem* nominent, *quod ſolitudine delectetur*; ſententia eſt *Iacobi Cujacii*. m

Neque nunc plura addo, ſed *Lectorem Benevolum* partim ad *Commentarios* hic ſubnexos, partim vero ad laudatiſſimorum *Samuelis Rachelii*, & *Iacobi Thomaſii*, de Duellis, ut video, nuper editos Tractatus remitto. Deum vero precor, ut iſtorum omnium, qui talibus etiam nunc delectantur, inſculpat menti, quod *Opuſculo de Divortio Lotharii & Thetbergæ* graviſſime ſcribit *Hincmarus*, Remenſis Archiepiſcopus: n *Defendant ſe, quantum volunt, qui ejusmodi ſunt, ſive per leges, ſi ullæ ſunt*,

m Ad Lib. 1. de Feudis, Tom III. Operum ejus pag. 666.

n Pag. 340. edit Pariſ. 615.

sunt, mundanas, sive per consuetudines humanas; tamen, si Christiani sunt, sciant, se in die Iudicii, nec Romanis, nec Salicis, nec Gundebadis, sed divinis & Apostolicis legibus, judicandos. In universum vero opto, ut tandem aliquando cessent bella, quibus denuo ab aliquot annis Christiani Christianos, proh dolor! satis abundeque vexavere: conflatisque in vomeres gladiis,

TOTO SURGAT PAX AUREA MUNDO.



PETRI

PETRI GREGORII THOLOSANI, JCTI CELEBERRIMI,

De

DUELLO

SEU MONOMACHIA

COMMENTATIO.

INter species purgationis vulgaris, *duellum* seu singulare certamen, aut monomachia ponitur, in c. 2. *de purgat. vulg.* quæ etiam ibi prohibita est, & in cap. *monomachiam*, 2. q. 5. §. Duellum tamen antiqui idem quod bellum dixerunt. Unde & perduelles hostes, & Bellona Duellona dicta, ut auctor in VI. de Ling. Latin. *Varro. Plautus*, in Captiv. *Belli domiq; duellatores optimi*, pro bellatores. Cicero 2. *de legib.* *Nam æs atq; ferrum duelli instrumenta.* Livius lib. 36. c. 2. *Quod populus Romanus eo tempore duellum jussisset cum rege Antiocho.* Cajus *perduelles* etiam *hostes* dictos antiquitus fuisse, cum Cicerone tradit, *L. quos nos hostes, de verb. sign. Cic. 1. Offic.* Quo nomine nunc patriæ hostes dicuntur proditores, legis majestatis rei. *Duellum*, inquit, Sex. Pomp. Festus, *bellum videlicet, quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur: inde & perdu-*

Syntagmatis Juris Universi lib. XLVIII. cap. 16. pag. 1061. edit. Francof 1611. fol.

ellis

ellis, qui pertinaciter retinet bellum. Singulare certamen duorum hominum dicitur duellum, & ſolius cum ſolo pugna: Græcis μονομαχία. *Duellum in purgatione vulgari, erat certamen duorum, ad purgationem illati criminis initum, quo victor purgatus, victus pro convicto habebatur.* Duplex illa pugna erat, *equeſtris* & *pedeſtris*, talisque formæ & modi, quo conventum erat inter pugnaturos, vel ab illis, qui monomachiæ præerant. §. Erat tamen monomachiæ ſpecies alia, quæ non purgationis cauſa, ſed vel virium probandarum & periclitandarum, ſponte inter aliquos fiebat, vel ut ſpectaculum præberent populo, ex quibus, qui virtutis cauſa id facerent, non erant infames: ut pugiles in ſacris certaminibus, & alii ſimiles. Qui autem vel operas elocabant, ut cum beſtiis ſingulari certamine congrederentur, vel gladiatorio munere publicum ſpectaculum ſanguine proprio ederent, infames fiebant, *l.1. §. item Senatus conſulto, cum duob. §§. ſeq. de poſtul. P. L. athletas, 4. de iis qui not. infa. P. l qua actione, 7. §. ſi quis in colluctatione, ad l. g. Aquil. P.* Ut & tandem gladiatorum cruenta ſpectacula ſublata fuerunt, tanquam in domeſtica quiete, & in otio civili horrenda, *l. uni. de gladia lib.11. C V. de quæ dixi de hoc lib.39. Syntag. hujus c. 5. n. 25.* §. Fuerunt & aliæ monomachiæ ad oſtentationem virium & audaciæ introductæ, quibus congredi ſoliti erant depugnantes, vulgo *Torneamenta* dicta; quo-

quorum torneamentorum deteſtabiles nundinas, ad quas milites ex conducto ſoliti erant concurrere, improbat & prohibet jus Pontificium, unde mortes hominum, & pericula animarum ſæpe provenirent, *c.1. de torneam lib.5. ap. Greg.* Cum tamen haſta decertare, leges Romanorum concederent, *l. ſolent, §. Senatus, de aleæ luſu & aleatorib. P.* Atque morientibus in torneamentis denegatur eccleſiaſtica ſepultura, *c.2. de torneam.* §. Solitæ fieri maxime illæ exercitationes pugnarum, ab otioſis militibus in acie, vel in honorem heroum defunctorum. Quemadmodum colligere licet ex Dictys Cretenſis *lib.3. de bello Trajano*, apud quem refertur in certaminibus propoſitis ab Achille propter victum & occiſum Hectorem, viciſſe quadri jugis equis Eumelum: bigis, Diomedem & Menelaum: in ſagittando, Merionem & Ulyſſem: curſu longo, Ajacem Oelei & Poliportem: duplici campo Machaonam: ſingulari, Eurypilum: ſaltu, Tlepomenum: diſco Antilochum: cœſtibus, Ajacem Telamonium; curſu in armis, Diomedem. Proponit & diverſa certamina Phœacum, Homerus, quæ edi juſſit Alcinous in adventum Ulyſſis peregrini, publice, præeunte præcone. §. Fuerunt & monomachiæ veluti ex quadam neceſſitate antiquorum, ad ſopiendas bellorum clades imminentes, & ad controverſias ſopiendas. Sic ſingulari certamine Curiatiorum & Horatiorum

 diru-

diruptum bellum inter Romanos & Albanos, victis Curiatiis, qui nomine Albanorum causam defendebant, ab Horatio, qui pro Romanis vicit: Lege prius posita, ut victis istis, aut vincentibus commilitonibus, victores vel victi haberentur, illi, quorum causam defenderent, *Liv. in* 1. *Val. Max. lib.* 6. *c.* 3. § Duello quoque Goliæ & Davidis, illo pro Philistæis, hoc pro Judæis decertante, bellum maximum solutum est, victo Golia per Davidem, in singulari cum suis conditionibus pacto certamine, 1. *Reg. c.* 17. *c. monomachiam*, 2. *q.* 1. Quando etiam Vandali ex patriis regionibus egressi, cum rege Gundarico Galliis vastatis postea ad Hispanias transivissent, & pariter Suevi, id est, Alemani Gallæciam apprehendissent, & fuisset inter hos populos orta quæstio, & collegissent viros belli utrinque: ne multitudo clade interiret, convenerunt, ut discrimen duobus pueris bellantibus committeretur. Et ita puero utrinque in duellum emisso, pars Vandalorum victa succubuit, interfectoque illorum puero, Trasimundus successor regni in locum Gundarici, cessit Hispania cum suis, *Greg. Turon. lib.* 2. *hist. Franc. c.* 2. §. Videtur tamen hæc monomachia pertinere ad purgationem vulgarem, per quam juris vel injuriæ judicium eventui committitur. Quare & duellum hujusmodi improbarunt quoque jura. Et clericum qui sponte duellum obtulerit, vel oblatum susce-

susceperit, deponi jubent; sive victor sit, sive victus fuerit, *C. 1. de cleri. pugn. in Duel.* & irregularis fit ac homicida, sive per se sive per campionem, ut dicunt, seu pugilem, pro eo datum, occiderit contendentem & monomachum, *c 2. eo.* Maxime habitus reprehensibilis, quod vel Deum remediis non humanis tentare voluerit, *C. monomachiam, & C. Mennam, 2. q. 5. C. si nulla urget necessitas, 23. q. 8. & 6. quæritur, 22. q. 2.* Sed & permittit Deus plerumque in istis duellis, innocentes ab eo, quo accusantur crimine, succumbere & necari, propter alia eorum peccata, ut ait C. 1. de purg. vulg. & ita Rhotarius Rex, *Quia incerti sumus*, inquit, *de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere: sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum, legam impiam vetare non possumus. lib. 1. Leg. Longob. Tit. de Monomachiis.* §. Quibus rationibus etiam mores gentium plures inter Christianos castigantur. Prævaluit tamen malitia hominum, ut necessarium aliquando fuerit permittere, legibus Germanorum, Hispanorum, Longobardorum, Gallorum, ut videbis in Libro *Bellissarii Neritinorum Ducis, de Singulari Certamine*: Et in Legibus proxime nominatarum nationum, in Constitutione Philippi regis Gallorum, anni 1306. quam explicat *Guido Pap. decis 617. usq. ad 624.* Et in Tractatu *Ioan. de Lignano, de Duello.* Quamobrem cum improbi mores vix omnino

 extru-

extrudi potuerint, necessarium leges illis aliquas, ne laberentur in prius, pro fræno adjicere. Primumque definita sunt negotia, pro quibus ad certamen singulare provocare liceret tantum. Atque ex consuetudine *Longobardorum*, de criminibus objectis licebat se purgare per pugilem, quem *campionem* dicunt, *Lib.1. leg. Longob. tit. de mal. fic. l. fin.* Sic mulieri accusatæ de occiso marito per venenum, licebat se purgare vel per juramentum, vel per pugnam, seu eundem campionem, *l. fin. de cons. mort. lib 1. leg. Longob. vide gl. ad §. si quis in ver. duellum, de pace tenen. in feud.* Qui *argam*, id est, *cuculum* vocasset, de eo accusatus poterat vel componere, vel per duellum cogebatur probare, *l.1. de Convitiis, lib.1. Leg. Longob.* Si quis dixisset, per vim venditionem prædii facere coactum, *L. si quis dixerit, titul. Qual. quis se defend. de eod.* Bellisarius ait in summa, ex legibus Longobardorum permissum esse bellum ex justa causa, si rei ejus, quæ in dubium venit, veritas alio modo probari nequit; si insimulatus criminis læsæ majestatis quis fuerit, & alio modo probare non possit; accusatori armis cum accusato decernendum est, an verum sit crimen: si objiciatur, quod patrem quis interemit, vel alium durantibus induciis: si alienam uxorem in viri mortem criminatus sit, vel adulterum dixerit, vel adulterium alicubi objiciatur, vel crimen furti, vel male possedisse per triginta annos,

vel

vel incendium; vel si quis neget pecuniam depositam, vel soluto debito nihil debere: *In Legibus Alemanorum*, & cum his duellum committitur & pro controversia terræ, *Tit*. 85. & pro dote adlata repetenda, *Tit*. 77. In Gallia Philippus Rex, in provinciis, in quibus consuetudo esset duelli permittendi, noluit permitti, nisi quatuor concurrentibus: *Constit. an*. 1306. Primo, si liqueat crimen esse commissum, *L*. 1. §. *Illud, ad Senat. Syllania. gl. in c*. 1. *in princ. de pace ten. in usib. feud.* à quo tamen commissum sit, non liqueret. Secundo, ut maleficium quod objicitur duelli causa, ex eorum genere sit, quod mortis pœnam habeat, quod ex facto proposito constabit. Ideo excipitur furtum, etiamsi pro eo pœna mortis inferatur. Tertio, quod crimen illud proditorie & clam commissum fuerit, & alio modo sufficienter probari non possit, quam per duellum, *quia in notoriis & probatis non admittitur purgatio, sed fit condemnatio*, *C*. 2. *c Cum dilectis, de purga. cano*. Quarto, quod is qui duello provocatur, & de ipso delicto accusatur, per indicia & verisimiles præsumtiones habeatur suspectus, ut in tortura & in purgationibus paulo ante diximus: alioquin enim si manifestum sit crimen, utputa quod quis aliquam voluntarie & sponte necessario occiderit, tunc nec per duellum, nec alio modo accusabitur, quin capitalem subeat pœnam, §. *Si quis hominem intra pacem, de pace tamen, in usib. feud.*

feud. Ex quibus constat, duellum non temere pro omnibus, nec contra omnes sine causæ cognitione, nec ab omnibus concessum fuisse. §. Duellum ideo non nisi ab eo, qui habet vitæ necisque potestatem, permitti potest: neque privati, qui sibi indicunt propria auctoritate, immunes sunt â crimine læsæ majestatis, & homicidii pœna, si illud commiserint in monomachia propria auctoritate delata & suscepta. Princeps solus permittit hodie in Gallia. Olim permittebat, causa agnita, Senatus Parisiensis: *Mâsue in stylo parlament. tit. de adiurnam. §. Item fallit ubi aliquis aliquem, &c.* Curia gubernatoris, cum ipso rectore Delphinatus in Delphinatu: Magister militum Galliæ seu Conestabulus, *Guid. Pap. q. 622.* Et Philippus rex inhibuit anno 1307. Senarcho Tholosano, ne de bello aliquam litem susciperet, & ut loquitur Constitutio, *ne aliquem processum faceret.* Bellisarius *lib. de singul. certamine c. 5.* pugnandi facultatem duello dare tantum, ait, principem liberum, nemini subditum, nec sine ejus permissu posse fieri. Refert duo exempla, quare *Quintius Crispinus* miles, cum eum *Dadius Campanus* injuria lacesseret, ut *si vir esset congrederetur*, tamdiu cunctatus, donec Imperatorem consuleret. Et Titus Manlius, cum â Gallo provocaretur, Dictatorem ita est allocutus: injussu tuo Imperator, extra ordinem non pugnaverim, non si certam victoriam agnoverim: si tu permittis,

tis,

tis, ero provocatus. *Qui sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit aut trucidaverit, aut membro debilitaverit, velut homicida judicabitur: tanto acrius, quanto sibi à Deo concessam potestatem abusive usurpare non timuit. Idem c. quicunq. 23. q. 8. c. 2. & c. significantibus, de homicid.* Ut neque ultio permissa sit de eo, qui nos invadit & occidere nititur vindicta: nisi accessisset consensus principis, qui permittit cum ea conditione, si evadere aliter non possumus mortis periculum, *l. 1. Ibid. vestram igitur permittimus ultionem, quan. lic. unic. sine jud. se vind. C. L. scientiam, §. per & l. itaq. ad l. Aquil. P. l. 2. C. ad leg. Cor. de sicar. l. ut vim, de justit. & jur.* Et idcirco judiciorum vigor, jurisque publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi permittere valeat ultionem, etiam si alioquin sit aliquis sceleribus implicitus, *l. nullus, 13. C. de Iud.* Prohibitum etiam generaliter, ne quis sibi jus dicat, *l. 1. ne quis in sua cau. jud. C l. 1. quo lega. P, l. penultima, quæ in fraud. cred. P. cum similibus, l. qui jurisdictioni, de jurisd. om. jud. P.* ne sibi debitum armata manu repetat, *in l. negantes, de action. C.* Nec vitat homicidii pœnam, qui etiam salutis communis inimicum & hostem, sceleribus inquinatum, necaverit: Cum quod severitati legum eum subtraxerit, tum quod proprium fortassis inimicum sub hujusmodi vindictæ nomine, consilio atrociore confecerit, *l. fin. C. de malef.*

& mathe. Bellum justum tantum est solum, quod indicitur & permittitur â principe, qui habet gladii potestatem, *c. quid culpatur, 23. q. 1. c. justum, 23. q. 2. c. igitur, c. omni, & c. seq. 23. q. 8.* Et armorum usus, sine Principe capitalis est, *l. 1. ut armo. usus. & c. lib. 11. C. tit. de armis in Auth. l. 1. ad leg. Iul. de vi pub. P.* Neque jus est rectoribus provinciarum, vel ducibus exercituum, concedere inter suos milites duellum: quamvis n. gladii jus acceperint â principe, tamen illud limitatum fuit, ut in hostes hoc jure uterentur. Sicuti & miles, jus necandi, sed hostem non regnicolam, habet. Et ideo si tanta temeritate & superbia duces vel exercitibus præfecti impellantur, ut monomachiam permiserint, rei fiunt majestatis: quia cum in hac causa privati sint, injussu principis bellum gerere dicuntur, & delectum militum habere, & pro potestate, quam non habent, principes agunt, quæ capita ad leg. Jul. majest. pertinent, *l 3. ad leg. Iul. majest. P. §.* Forma quæ præscripta est duello habito legitimo, hæc, ut primum pignus detur, certaminis ineundi symbolum, mittitur interdum per fæcialem paludatum, qui *Heraldus* dicitur, interdum & ad provocatum literæ indicentes monomachiam, quas vocant *lettres de defits ou combat.* Interdum pro pignore chirotheca sanguinolenta sæpe, ut ait Belisarius *lib. præd. c. 2.* & citatur in jus coram principe, vel coram eo qui potestatem habet permittendi duellum,

ad

ad duello determinandam diem, horam, & locum. Eſtque ea vocatio vadimonium, cujus die dicta ſiſtere debebit vocatus, reus & actor. Et cogitur vocatus, velit nolit, reſpondere: data tamen dilatione prætextu abſentiæ amicorum, ut *Aufrer.* ſcripſit ſe vidiſſe judicari per ſenatum Pariſienſ. *Aufrer. in ſtyl. parlam. tit. de adiornament. in cau. appel.§. Item fallit ubi aliquis aliquam inventum Pariſiis.* Hic tamen ſciendum eſt, dictum fuiſſe per curiam ſupremam Pariſiorum, ann. 1386. pignora, quæ in placito vocantur vadia, plura projici non poſſe, nec ab alio, quam ab eo, qui provocat ad duellum: alioquin ſi id fieret, impune poſſe aliquem detractare duellum, *ſcribit Ioan. Gallus, in quæſt. deciſis per areſta parlamenti, q.* 72. Alioqui placito cautum, ne liceret â curia pendente controverſia duelli, abire, ſine permiſſione ejusdem curiæ, *Ioan. Gallus præd. loco q.* 171. In curia agitatur, num juſta ſit pugnæ cauſa, num dubia vel certa, *Beliſſar. lib. de ſingul. certa c.* 12. num debeat permitti, num accipere pignus provocatus recte recuſaverit, num crimen illatum alio modo probari poſſit, quam duello. Nam hæc eſt cauſa finalis duelli probatio. Sicque coram rege vel curia olim dicebant monomachiam, indicentes talem reum commiſiſſe tale crimen, in tali loco, tali hora proditorie vel clam: & tamen ſe illud probare plane non poſſe, nec aliter quam proprio corpore pugnando: vel per ſe vel per pugilem,

lem, quem vocabant advocatum vel campionem. Sed & discutitur in hoc judicio, num injuria, quam sibi irrogatam dicit provocans, verbalis sit, an facti: nam pro verbali, verbis repulsa, non fit pugna, ut si pro verbis, tu es fur, alius dicat, tu mentiris, *idem d. lib. c.* 14. §. Si vocatus ad causam hanc discutiendam, non aderit die illi dicta, tanquam in contumacem & confessum de crimine, quo interpellatur, fertur sententia. Et secundum Belissar. c. 2. poterit provocans imaginem renuentis & detrectantis, per loca publica ad ejus ignominiam constituere, ut venire cogatur; & si adhuc contemserit, infamiæ nota dignus sit. Apud *Muscovitas* seu *Ruthenos*, purgatio criminum post accusationem delatam ex consuetudine, duellum etiam est, si velit accusatus, postquam in jus vocatus est per *Nedelniso*, id est, per apparitorem, & causa fuerit audita, testisque producti contra eum, *Sigis. Liber. Baro, in commen. rer. Moscovit.* §. Postquam autem reus provocatus venerit, potest in judicio coram Principe vel curia, vel alio idoneo, de sua innocentia verba facere, & modeste salvo honore judicis, negare, & asserere falso se fuisse ab adversario insimulatum, & eum mentitum esse: & tunc potest vel recusare pignus justis rationibus, vel docere quod recte non sit projectum, vel quod plures male projecerint, vel quod crimen duello non subjiciatur, vel nulla sunt indicia adversus eum,

vel

vel non constet delictum commissum, vel similia quædam. Aut si velit pignus accipere, dicet salvo honore curiæ mentitum adversarium, idque se probaturum, cum auxilio B. virginis Mariæ, & B. Georgii militis, certamine singulari, vel proprio corpore, vel pugile quem exhibet suo periculo & sumtibus, obligatione proprii corporis: & ita se pignus capere cum reservatione consilii, & cum arbitrorum electione. Et tunc utrinque auditis contendentibus, per se vel per advocatos, judex statuit se adhibito judicio & consilio judicaturum, num quæstio pugna decidenda sit: jubetque ea de causa venire certa die litigantes. §. Subinde die stata, fertur sententia, ex qua si pugna indicitur, constituitur locus, dies est hora, quibus interesse pugnaturi debent. Delegatur â principe judex, qui certamini præsit, qui refelli non possit â provocante, juris militaris peritissimus: & si agatur de crimine læsæ majestatis, eligendus qui præsit provinciæ, & de criminibus cognoscere possit: si militibus singulari certamine sit decertandum, dux exercitus, cui dominii jure non sit subditus provocatus, *Belissar. d. li. c* 4. *&* 3. Provocatus judicem, dummodo non suspectum adversario, locum & arma solet eligere, solum commune, & tempus utrique. §. Locus, seu arena, aut catadromus, concluditur palis & limitibus, & ut vocant *barriers ou lisses*. Monomachiæ locus habere debet, ut ait Claudius la

Sale, *in lib. de Duel.* in longitudinem, centum viginti passus: in latitudinem octoginta. In catadromo fiunt duo tentoria. Tentorium quod â dextris principis, vel certaminis præsidentis est, deputatur provocanti: quod â sinistris, provocato. Et in quolibet tentorio, habet pugnaturus suum mantile, panem & œnophorum, quæ egressuris ad pugnam offeruntur: potest & quilibet secum edulia deferre, quæ unius diei victui sufficiant. §. Die & hora adveniente pugnæ statæ, debent ad catadromum venire armati illis armis, quibus pugnare conventum est: â domo olim non licebat etiam per alium arma quàm per se deferre; dispensavit tamen Philippus rex, ut alio præeunte possent per illum deferre. Jussit tamen optimus & Christianissimus rex, ut egredientes domo armati, & singulis fere passibus se salutifero signo crucis præmunirent, & vexilla deferrent, vel præferri juberent, quibus divorum, aut crucifixi essent appictæ imagines: non alia de causa, ut opinor, quam ut Christianos se esse cogitarent, & ad mortem se pergere: utque se appararent eidem, si opus esset. In catadromo, die certaminis, præco paludatus seu fæcialis armorum Hæraldus prodit in catadromum, & silentio impetrato, per triplicem vocem Gallis consuetam, *or oyez, or oyez, or oyez,* refert nomine regis alta voce, diem illam esse statam certamini tali, ad probandum corpore & pugna in-

ten-

tentionem suam. Postea recta via in catadromi duas portas veniens, & provocantem & reum voçat, jussus â Principe, vel â præfecto judice. De hinc vocati ingrediuntur catadromum, & se principi sistunt & offerunt. §. Ad est præfectus catadromi, quem vocant *Mareschal du Camp.* & præco interim nomine Regis alta voce leges dicit adstantibus, qui certamen visuri advenerunt, præfato silentio prædicto more, *or oyez*, ne quis nobilium vel aliorum arma ferat, non enses, non pugiones, exceptis custodibus catadromi. Secundo, ne quis inibi equum habeat : alioquin si nobilis sit, equo privetur : si servilis, aut vilis conditionis, aure truncetur. Tertiò, ne, quis ingrediatur intra duos fines catadromi, quos vocant *lex deux lisses*, exceptis iis qui inibi ordinantur : imminente & indicta id attentantibus pœna mortis. Quarto jubet omnes in terra considere, non in scamno sub pœna abscissionis manus vel pedis, ut facilius pugnantes videantur ab omnibus. Quinto, jubet ne quis eorum qui adsit, tussiat, loquatur, signum faciat, spuat, indicta pœna confiscationis corporis & bonorum. Tum citat præco ad januam utrumque monomachum, num adsit talis : respondet citatus, vel ejus advocatus, adest vocatus, & sistit se coram Rege suo, vel superiore principe, vel coram superiore, vel judice competente, armatus ut nobilis, paratus ingredi catadromum, & pugnam contra

tra

tra talem vocatum, pro hoc vel illo negotio, tanquam adversus proditorem & invidum, vel talis criminis reum, cujus rei gratia invocat testem Dominum nostrum Jesum Christum, & beatam virginem ejus genetricem Mariam, Divum Georgium militem & alios sanctos. Quibus dictis præfectus catadromi, vel magister campi, ad regem vel judicem it, relaturus quæ dixit ingressurus catadromum. Jubet autem rex aut judex, cum armatum uti est, vel equitem vel peditem admitti: is vero ingressus cum suo consilio regi sistitur, & vel per se ipsum, vel per advocatum eadem regi dicit, quæ præfecto catadromi, causamque sui adventus.

§. Protestatur autem qui admissus est ita, & provocavit ad certamen. Primo, ut possit pugnare eques aut pedes, prout satius ei videbitur: cum armis quæ defert, aut sine his, invadendo aut defendendo. Secundo, quod pugnaturus sit cum armis permissis & non vetitis in regno, quibus si utatur adversarius, illi adimantur, & nulla alia in eorum locum dentur. Tertio, protestatur, ut si adversarius arma ferret vetitis artibus, aut per maleficium fabricata, aut brevia, aut incantationes dæmonum, quæ postea manifesta fierent, non ideo lædatur, vel minuatur ejus bonum nomen, bonave fama, aut jus, sed adversarius ob ea plectatur. Quarto, ut si contigerit sole occidente nondum vulneratum vel victum esse adversarium, detur

ei ex

ei ex sequentidie tantundem, quantum lapsum ex prosenti esset, ad conficiendum integrum diem, secundum mores, consuetudinem, & constitutiones. Quinto, ut si contingat stata hora adversarium non comparere, ne posthac audiatur. Earumque protestationum & petitionum petere potest jus sibi dici. Eadem petit & protestatur, eademque forma admissus adversarius, seu interpellatus, qui pignus duelli suscepit. Postea autem recipiunt se in sua tentoria monomachi. §. Et rursus præco secundo vocat in singulas portas catadromi, quæ duæ sunt, conversus, primum provocantem, qui admissus, pedes armatus quibus uti vult armis, rejecta lorica, comitatus suis consiliariis & catadromi custodibus, se genibus flexis coram Principe vel judice sistit, quem unus ex latere principis alloquitur & adjurat, proposita imagine Domini nostri Jesu Christi crucifixi, ne immemor suæ sit salutis, recordeturque imminere æternam damnationem, si calumnietur: Deum, illum ut adjuvet, precatur, si jure sit pugnaturus: statim prehensis ambabus pugilis manibus sub motis chirotecis, eas ei admovet ad imaginem, verbaque concepta juramenti, quæ ipse sequitur, præit: *Ego talis juro super memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi, & in fide veri Christiani, & sancti baptismatis, quæ à Deo consecutus sum, me habere, utq. vere arbitror, bonam, sanctam, justamq. querelam & jus, in pi-*

H gno.

gnoris datione facta tali, pro tali quæstione & crimine, contra talem qui falsam & impiam vult defendere causam: prout hodie fidem & probationem corporis mei objectione faciam, cum Dei auxilio & beatæ virginis Mariæ, & beati Georgii militis. Hocque præstito juramento, repetet tentorium cum illis, qui secum adduxerant. Eoque reducto, custodes catadromi in aliud defensoris pergunt tentorium, & eodem modo forma, & juramento de justa defensione devinctum, ducunt ad principem, & reducunt in teritorium. Subinde ambo pugiles â custodibus divisis, una ducuntur coram imagine crucifixi & Principe vel judice, cujus consiliarius unus, vel præfectus catadromi, seu magister arenæ, pugilibus geniculatis apprehendit manus, & in utrumque latus crucifixi admovet, & postea jubet iisdem sibi mutuo dexteras dare & jungere, eosque ita verbis affatur. *Tu talis, qui provocasti ad certamen, & tu talis qui suscepisti: videte, perpendite & contemplamini, sacratissimæ passionis Dominicæ memoriam, ex qua periculum animæ corporis imminet ei, qui juramento præstito, & præstando, pejeraverit; considerate sententiam, iramq; Dei in eum, qui injuste contendit, & quod Deus opitulatur justam causam foventibus, obsistit autem impiam defendentibus: scitote melius satiusq; esse incidere in manus hominum, quam in manus Dei: adhuc superest pœnitentia locus; resipiscite, antequam contendatis injuste. Nunc tu talis, qui jurasti antea, te justam causam*

fove-

fovere, sacramento id ipsum confirmare? Tune, qui pignus suscepisti, visne iterum id ipsum jurare? Hisque dictis, si nolit jurare, & dicti factique pœniteat, relinquuntur arbitrio & misericordiæ judicis vel Principis ante pugnam, & reducuntur in tentoria propria. Quod, si velint jurare, jurabunt præeunte consiliario Principis, vel Magistro seu Mareschallo campi, in hæc verba: *Ego talis provocans, juro supra veram imaginem Domini nostri Iesu Christi, in fide baptismi, quod consecutus sum à Deo, in spe gaudiorum Paradisi, quibus abrenuntio, & pœnas damnationis æternæ, deligo in animam, vitam & honorem meum, si sciens fallo, & ni arbitrer, me justam causam fovere expugnandi talem impium proditorem, adversarium, quem in conspectu habeo, video, & manu teneo. Hujusce rei gratia invoco in verum judicium, Deum, beatam virginem Mariam, beatumq; Georgium S. militem. Quæ ut fidelius exsequi possim, per juramenta præstita juro, me non deferre, nec decrevisse ferre mecum, aut supra equum, verba, lapides, herbas, incantamenta, invocationes Dæmonum, quæ me possint juvare, aut ei nocere; neq; quicquam aliud præter jus meum, equum meum, armaq; mea: & cum hoc osculor hanc veram crucem, & taceo.* Eadem jurat & eodem modo, qui defendere decrevit. Subinde se in pedes erigunt, jubetque consiliarius vel Magister campi, eos sibi iterum mutuo dextras dare, & provocantem provocato dicere: *Provoco te talis, quem ego dextera teneo, per sacramenta quæ*

H 2 præ-

præstiti: causa, ob quam ad singulare certamen te provocavi, vera est: & ideo juste te provocavi, & hodierna die te expugnabo: tu contra injustam foves causam, injusteq. eam tueri & defendere vis: testesq. ea de re appello, Deum, beatam Virginem Mariam, & beatum Georgium, bonum equitem seu militem. Provocato autem jubet dicere, se præeunte: *Et ego talis quem dextera teneo, per sacramenta jam præstita, dico, causam, ob quam me provocasti, falsam esse & iniquam, ac proinde me justam ac rationabilem habere defendendi, teq. expugnandi & repellendi hodie adversum injustam & falsam objectionem & examinationem, ob quam me interpellasti, cum bene ipse noveris, te pessime & impie mentiri: ut in testes Deum, beatam Virginem Mariam, & divum Georgium bonum equitem invoco.* Hisque dictis genua iterum flectunt, & deosculata imagine crucifixi in tentoria redeunt. Has formulas, vir in aulicis negotiis expertissimus *Claudius de la Sale* præscripsit. Bellisarius capite sexto, aliud juramentum per judicem vel principem â pugnaturis exigendum docet: *Se non ob aliam causam pugnaturos, quam ut veritas illucescat, nec odio, nec alia quam sui honoris tuendi causa, & in defectum probationum.*

§. His peractis in medium catadromi venit præco, & iterum nomine regio quemque adstantium jubet suo loco considere quiete, seve temperare â signis, ne tussiat, ne excreet, ne se moveat, Adsunt pugiles

ad

ad pugnam parati, quibus omnibus in ſuis ſedibus ſe continentibus, jubet iterum præco, ut certamen incant, verbis ter repetitis, *faictes vos devoirs, faictes vos devoirs, faictes vos devoirs*: quibus dictis ipſe ſe ſubducit juxta catadromi palos. Expiicatur juxta cujusque pugnaturi tentorium interim mantile, œnoforus & panis. Prodit in medium præpoſitus campi ſeu Mareſchallus, & interrogat pugiles, num parati ſint ad certamen, illisque ſe paratos reſpondentibus, ille progreſſus in medium arenæ, deferens pignus certaminis, ſeu chirothecam, alta voce, clamat ter, *ſinite hos abire*, projicitque pignus in medium certaminis: concurrunt tunc pugiles, vel equites, vel pedites. Exeunt autem eorum conſiliarii vallum ſeu palos catadromi, finem & exitum pugnæ expectantes: niſi judex certaminis aut Princeps permittat unum aut duos utrinque adeſſe catadromo, ut melius certamen obſervent, deſpiciant, audiant, & poſtulent pro jure ſuæ partis. §. Certamine inito, quæritur quis pignus lucretur, quod vocant, *cultrer le gage*, aut liberare â pugna. Et dicunt in duobus caſibus id accidere: primus, ſi alter pugnantium fateatur culpum, & ſe dedit. Secundus, ſi alter eorum pellatur extra catadromi vallum, vel palos, vivus aut mortuus. Nam in hac pugna edicitur, ut ait Belliſſarius, cap. 10. ne extra vallum vel ſeptum pugnetur: & extra pugnans, pro

victo habetur, nisi casu, vel sine culpa sua, septa transiliret, puta si forsan equus ferox se subtrahat, fræno non obtemperans, quo casu judicio omnium habito & suffragiis, sine culpa pugilis factum, in pugnam reducitur. Causa interim pugnandi mutanda non est, *Bellissarius præd. li. de singu. certam. c.* 11. nec semel victus iterum provocare potest. Victo vel prostrato, vel adhuc vivente, vel mortuo adversario, ejus corpus relinquitur præfecto catadromi, seu Marescalcho campi, ut judex vel Princeps de supplicio ejus statuat, vel ejus misereatur. Victor Principi vel judici geniculatus se sistit, quærens num debito functus sit officio: quo casu Princeps à certamine eum absolvit, & ille in propria tentoria cum suis & amicis redit. At si victus adhuc vivit vel mortuus est, prostratus â præconibus paludatis, seu Heraldis erigitur, exarmatur, ligulis armaturæ ruptis, arma per catadromum sparguntur, & rursus in terram prosternitur, donec judex & Princeps, quid de eo factum velit, statuerit: obsidibus ejus victori datis & retentis, donec satisfecerint eidem adversario, & bona victi fisco addicta fuerint Principis. Et si reus vicerit, tutus in posterum ab illato crimine erit, transitque negotium in rem judicatam, ut neque de eo inquiri postea possit, nec jam inquisita noceant. Si concurrentibus duellantibus cum equis uterque prosternatur, eodem mutuoque impetu,

petu, judicatur pro defenſore : quia actor non probavit, *idem Belliſſarius ubi ſup. c.* 19. Ex ſententia Belliſſarii, *cap.* 15. videtur poteſtati victoris abſolute conceſſus victus ; & ideo ait victorem victo debere imperare honeſta, non turpia, obſequendumque victori, ſed non ut nobilis jubeatur agrum colere, fodere, pecora cuſtodire, ſervile opus agere, nec oportere in eum crudeliter ſævire. §. Et hæc hactenus de forma duelli dicta ſunt : nunc admoneo, pugnas has fieri debere â perſonis idoneis tantum, neque duellum permiſſum, niſi inter perſonas æqualis fere dignitatis. Et ideo inferior à ſuperiori cui ſubjicitur, cogi non poteſt ad pugnam, *Belliſſar. eo. li. c.* 7. & fere omnes qui non admittuntur in judicio, rejiciuntur â pugna, turpitudine vitæ notati, infames, deſertores exercitus, quæſtuariæ mulieri inſervientes, emanſores, cauponam exercentes, qui dimicantem in prælio dominum deſeruerunt, colonus, villicus, crimine capitali damnatus, deportatus, hæreticus, *idem cap.* 8 Et quia pares debent eſſe commilitones, ſi ignobilior ad certamen ſuperiorem provocet, poteſt nobilior parem loco ſui ſubrogare : non contra, ſi nobilior ignobiliorem provocet. Nam tunc ignobilior vel nobilior, alium non ſubrogat. Subrogat provocatus, ſi minor ſit 25. annorum, vel major ſexaginta, mulier quæ adulterii poſtulatur, ſi ſervus abſens furti accuſatur, & ſi

teſtes

teſtes ſint varii, *de his Bellissar. eo. c. 9. exſtat & lex fi. tit. qualiter quisq; ſe defen. debeat, li. 2. leg. Langobar.* §. Victo tamen ſubrogato, victus cenſetur ſubrogans, *idem Belliss. c. 9.* Meminit Belliſſ. c. 3. cujusdam legis Friderici II. Imperatoris, per quam ſi provocatus aliquo corporis membro ad pugnam deſtitutus mancusque ſit, eodem & provocator carere debeat, nec ullo modo eo in ipſa pugna uti. Nec ſi eques ſit provocator, provocatus vero pedes, ut reo potius quam actori jura favent, *l. actuarios, de actio. F. l. favorabiliores, de reg. jur. P.* Finis duelli, eſt probatio occultorum, & purgatio judiciorum. Inde rationes quoque petuntur, admiſſam ex cauſis & præſumtionibus urgentibus monomachiam, ne maleficia clam commiſſa haberent diffugium, & delinquendi tolleretur ſecuritas & occaſio. 5. Sed & nobiles tantum tribuerunt honeſtati, gloriæ, & bonæ famæ, ut potius eorum, quam vitæ rationem habendam putent: & præſtare honeſte mori, quam turpiter cum ignominia vivere. Alii etiam facile credunt, Deum veritatem manifeſtaturum in hoc certamine. Sed certe, ut litis & judiciorum dicimus exitus eſſe incertos & dubios, eo magis certaminis hujus trucem & immanem congreſſum, aleæque dubiæ, rari ſunt Chriſtiani, per rationes in vulgari reprobanda purgatione adductas ſupra cap. 15. Sed eo maxime, quod quis tentare Deum videatur, & nimium de ſua juſtificatione confiſus, in mor-

tem

tem ſpontaneam perveniat, inſcius an amore vel odio Dei dignus ſit, & num pro aliis peccatis, quibus omnes abunde ſcatemus & conſtringimur, dignus quoque ſit in certamine â Deo relinqui, & ejus deſtitui ope. Recte D. Auguſt. li. 1. de civitate Dei, c. 22. & 23. docet, non eſſe magnanimi animi, neque Chriſtiani, mortem ſibi accelerare. Et utinam nobiles, quid eſſet mors, & quid poſt mortem expectare oporteat, animo conciperent, & revolverent, cujus ſint diſcipuli, & cujus nomine Chriſtiani appellantur: certe, ut arbitror, iſtas deponerent vanas & tumidas jactationes, & ſesquipedalia ſuperba & paganica bella, & Dei judicium potius expectarent, & vindictam ab eodem hoſtium & malefactorum, ut ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, vivendo & moriendo, exemplo ſuo nos docuit. §. Et ſi milites efferati, aut potius feræ, his non acquieſcant, Judices & reges, quorum munus eſt ſalutem Reipubl. curare, has monomachias & gladiatoria ferina ſpectacula non patientur. Quemadmodum etiam Tridentina ſynodus, in ſeſſio. 9 in decretis reformationis generalis, recte ſtatuit, ut quicunque duellum conceſſerit, excommunicetur. Ex quo concilio revocata extravag. Joa. 22. tit. de torneam. incipiens: *Qui in futurorum eventibus*, in extravag. Joa. 22. per quam tollebatur ſancta conſtitutio Clemen. V. qui prohibuerat torneamenta, ſeu decurſo ia,

quæ vocant *Iousts*, quæ habent monomachiæ periculum. Et melius certe etiam est redire ad hanc constitutionem: quod & Henrici II. Regis nostri casus, & infelicissimus eventus docuit. §. De hastiludiis tamen seu exercitiis, quibus nobiles ad hastam vibrandam instruuntur, & de bravio, cursu, & recta directione certant, vel ad annuli immissionem, vocant *la bague*, vel ad ficti hominis & umbratilis pugnam, quam vocant *Quintaine*, nihil reprehendo: ibi enim exercitium sine proposito necandi discrimine, & concursus justam habet causam &c.



OLAI



Olai Wormii,

Medicinæ D. et Professoris in Acad. Sorana quondam meritissimi,

De

Foris Veterum Danorum,

Et

Varia Dirimendarum Litium Ratione,



OCA, in quibus publice lites ſecundum regni Leges & conſtitutiones dirimuntur, FORA hic vocamus, noſtratibus *Ting*. Ea in locis campeſtribus & apricis, vel etiam in ſilvis & lucis, prope aras Deorum, ex congerie grandiorum lapidum, in quadrangulam aut ovalem, figuram diſpoſitorum, exſtructa cernuntur. Adhuc prope urbem ac arcem *Orethinganam* in Selandia, rudera ejus fori monſtrantur, ex quo arcem ac urbem denominationem traxiſſe volunt. Cujus cum ego ſtructuram & capacitatem diligentius examinarem, vidi illud quadraginta ſex ſaxis ſtupendæ magnitudinis cinctum fuiſſe, eminente in ejus medi-

Lib. I. Monumentorum Daniæ cap. IX. & X.

 tullio

tullio grandiusculo quodam. Omnia vero in ovalem dispoſita erant figuram, ita quidem, ut utrinque ad latera circa medium porta quaſi vel aditus pateret meridiem & ſeptentrionem verſus. Longitudo nonaginta paſſus æquabat, latitudo viginti. In tractu Mierloſano prope *Ausmuntorp* locus extat, undique cautibus ſeptus, etiamnum fori appellationem retinens. *Tinget* enim vocant. Plura hujus generis paſſim in aliis regni provinciis cernere licet.

Cæterum graviores controverſias variis modis deciſas in his locis invenio. Frotho Magnus, qui tempore nati Chriſti imperium in Danos habuit, inter cæteras leges & hanc atteſtante Hiſtorico noſtro libro V. tulit: *Ut de qualibet controverſia ferro decerneretur: ſpecioſius viribus, quam verbis confligendum ratus, Quod ſi alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet, perinde, ac victus cauſæ detrimentum reciperet. Sin autem quavis de re pugilem popularis impeteret, ipſum armatus exciperet, cubitali duntaxat Stipite pugnaturum*: Sic idem rex obortam inter Hithinum & Hoginum ſimultatem, quod Hithinus putabatur Hogini filiam ante ſponſalium ſacra, ſtupri illecebris temeraſſe, quod tum immane facinus cunctis gentibus habebatur, cum ſecundum leges alias componere non poſſet, ut ferro rem decernerent, conceſſit; quod ita expreſſit noſter: *Frotho miſſis, qui ſimul eos accerſerent, ſcrupuloſius cauſam inqui-*

inquirit simulatis. Qua cognita, juxta legis à se latæ formulam pronunciavit. Videns autem, ne sic quidem eos in gratiam reduci posse, patre filiam pertinacius reposcente, litem ferro decidendam edixit: Id quippe solum dirimendæ controversiæ remedium videbatur:

Monomachiæ leges & ritus pluribus persequitur Arngrimus Jonas, Rerum Islandicarum lib. 1 cap. 9. ex quo hæc cape. *Monomachiam vel singulare certamen inituri, scamma vel spatium quoddam, quod non excederent, positis terminis describebant, idq; vel lodice seu stragulo quodam pedibus certantium substrato; unde si alteruter profligaretur, tribus marcis argenti [illegible] salutem redimere tenebatur. Qui humum cruore prior tinxisset, victus censebatur, idq; ut apparet, in certaminibus minus seriis, tanquam ludis gladiatoriis. Vel describebatur Martis ille campus, facto circo quopiam, aut per cancellos ligneos, aut aliud simile: & hi cancelli* Heslesteingur *dicti sunt, idcirco quia forsan cancellis istis primum corylus materia fuerat. Victor autem, qui adversarium in hoc cruento certamine neci dedit, omnium bonorum victi hæres evasit, quod vocabant* dar var veigld til arffs. *Parta victoria, è vestigio taurus immanis productus est, quem si victor unico ictu non interficeret, victi cognatis contra victorem agendi jus fuit. Quibus monomachiæ legibus Egillus Scallagrimus non semel vicit, & in amplissimas possessiones victorum successit.* De quo consule eundem Arngrimum fusius disserentem lib. 2. pag. 134.

Hoc duelli genere constat nonnunquam ita diremtas esse forenses de prædiis, hæreditatibus & dotibus lites, ut saltim bona controversa victori cederent, reliqua vero hæredibus adjudicata. Idem autem erat juris, si quis ad duellum postulatus adversario obviam ire recusaret, ac si certando occubuisset. Observatu digna, quæ Saxo de his monomachiæ legibus tradit lib. IV. *Progredi illum* (Arislum) *jubet, & si quid virium sit, solitario secum experiri congressu. Nam & se, remoto fratris adminiculo, propriis acturum viribus, ne manu impari pugna conserta videretur infamis. Duos siquidem cum uno decernere, ut iniquum, ita etiam probrosum apud veteres credebatur. Sed neque victoria hoc pugnæ genere parta laudabiliter habita, quod potius dedecori, quam gloriæ juncta videretur. Quippe unum a duobus opprimi, ut nullius negotii, ita maximi ruboris loco ducebatur.* Vide, quæ de Athletis commentatus est ad lib. II. *Saxonis* eruditissimus Historicus Regius, *Stephanus Stephanius*, Soranæ Academiæ Professor publicus.

Arma, quibus in hac monomachia instructi procedebant, *Galea* erat, *clypeus*, *ensis & hasta*. Provocatus prior ictum in adversarium dirigebat, atque sic per vices manum conferebant.

Erat & aliud monomachiæ genus, quod in capacissimo vase superne clauso peragebatur; in quo ensis loco baculo cubiti longitudine utebantur. Quo certami-

tamine Thorgisellus Orrabeinius Randidum Scotiæ pugilem superavit.

Controversias per duellum dirimendi ratio diu in Holsatia viguit. De ea enim Christianus Cilicius de bello Dithmarsico lib. I. sic disserit: *Si majores contentiones de jure aut honoribus inciderent, inter nobiles præsertim, antiquo Romanorum* (imo Danorum) *more jussis duellis, Marte publico lites dirimebant.* Addit: *Homicidii crimen ultimo supplicio non prosequentes, mulcta pecuniaria plectebant, ne uno infelici casu duo de medio tollerentur. Idq; ita ad Christianum usq; ejus nominis III. Daniæ regem observatum est. Verum, ut erat Princeps prudentia mira, & æqui boniq; servantissimus, quoniam ea consuetudo à divino simulq; humano jure discrepare videbatur, inolitam usu & temporis diuturnitate legem, ante annos non adeo multos consensu procerum ita constrinxit & mitigavit, ut qui inopinantem quempiam, armisve ad sui corporis defensionem non instructum interfecerit, capite pœnam luat, in reliquis pristinæ consuetudinis vigor obtineat, ut à sanguinis profusione temperetur.* Quæ idcirco adduco, ut vel inde colligere liceat, barbaras hasce leges & consuetudines tam altas apud Septentrionales egisse radices, ut ne tanto quidem temporis spatio exstirpari potuerint.

Duelli quidem examen, tanquam impium, abrogare conatus Rex Longobardorum Luidprandus, sed frustra, ut patet ex Legum lib. I. Tit. 9. L. 23. *Incerti*, inquit,

quit, *sumus de Iudicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere; sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum legem impiam vetare non possumus.* Eundem hunc ritum *Agobardus* Episcopus, *Nicolaus* Pontifex, *Concilium Lateranense*, aliique damnarunt: unde sensim aboleri cœpit apud exteros. Apud nos ad tempora *Popponis* viguisse videtur. Memorabile, quod eo usque invaluerit hæc superstitio, ut duello decertare non dubitaverint Monachi, aliique, divinis, ut videri volebant, devoti. *Iuretus* refert è MSS. duo egregia exempla, Ivoniano seculo contingentia. In uno Monachus cœnobii Vindocinensis duellum pangit cum Sanctonensis Episcopatus clerico: in altero religiosus quidam Anselmus, thesauri Laudunensis Ecclesiæ custos, in monomachia strenue vicit aurifabrum, reus innocentem. Hæc *Spelmannus* ad vocem *Iudicium Dei*, qui eleganter singula ad duellum requisita proposuit in Archæologo ad vocem *Campus*. Tangbrandus Regi Olao Tryggonis à sacris, miles fuit strenuus, & multos duello vicit, testante Historia Norvvagica. Arngrimus duelli & monomachiæ hoc jus in Norvvegia & Islandia durasse in annum Christi MVI. arbitratur. Vide Lib.I. Crvm. cap.9.

Duellorum quidem indicia, saxa longo ordine recta linea disposita esse voluerunt; quandoque vero unicum solum, ingens tamen vel magnum, quod ex

Ada-

Adami Bremensis Histor. lib.2.cap.9. liquet. Sic enim hoc loco autor : *Ad vadum quod dicitur* Agrimes Wetel *ascendit: ubi & Biurgvvido fecit duellum contra campionem Slavorum. Interfecit eum, & lapis in eodem loco positus est in memoriam.* Campionem vocat, quem Dani Kempe/ bellatorem seu gigantem : quam vocem Romani in *Cimbrum* mutarunt. Cum enim fortissimos quosque à Danis animadvertissent vocari Kemper/ juxta sui idiomatis normam *Cimber* dixerunt.

Hic vero obiter notandum venit, aliam longe fuisse veterum pugnandi rationem tam in duello, quam bello, ac nostro seculo in usu esse cernimus. *Non enim antiquitus in edendis agonibus crebræ ictuum vicissitudines petebantur, sed erat cum intervallo temporis etiam feriendi distincta successio, rarisq; sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussionum magnitudini, quam numero deferretur*, teste Saxone lib.2. Solebant namque, ut idem post quædam ait:

Alternare enses, partiriq; ictibus ictus.

Integri exercitus stragem lapidum quadrata in plano dispositione indicarunt. Verum non ubique ab omnibus præcise hunc observatum fuisse ordinem ac dispositionem saxorum, plane mihi persuadeo.

Quin imo quadratam lapidum seriem, duellorum ibidem habitorum indicem esse, videor mihi ex *Saxone* no-

ne noſtro etiam colligere. Is enim lib. IV. locum deſcripturus, in quo Frotho ſecundus cum Frogero duello congrediebatur, dicit : *Frogerum è diverſo bina quadratæ formæ ſpatia, cubitalibus figurata lateribus, humi denotaſſe, à locorum uſu documenti initium editurum. Quibus deſcriptis, aſsignatam uterq; ſibi partem complectitur.* &c. Ex quibus colligere datur, duello pugnaturos areas quoque quadratas lapidibus deſignaſſe, extra quas ſi quis fuiſſet robore adverſarii pulſus, pro victo habebatur.

Sed & circulari forma digeſtam quandoque fuiſſe duelli aream, ex iis colligere licet, quibus idem Saxo lib. III. congreſſum Ubbonis cum Slavo deſcribit. Quæ cum rem vivis coloribus exhibeant, his addere non abs re erit. Sic autem ille : *Nec mora, circuatur campus, milite circus ſtipatur, concurrunt pugiles, fit fragor, fremit ſpectatrix turba, votorum ſuffragiis diſcors. Excandeſcunt igitur athletæ animis, & mutuis vulneribus ruentes, eundem lucis & pugnæ exitum ſortiuntur.* Hic duelli & pugnæ locum manifeſto *circum* vocat, atque ita quidem, ut ex campo antea fuerit circuatus, ſeu in circularem formam, ſaxorum poſitu, redactus. Inter leges vero duelli & hæc lib. IV. ponitur : *Duos cum uno decernere*, &c. ut ſupra.

Inſulas quandoque duellis deputatas, ſunt quæ docent, in primis ubi de regnis, aut integri exercitus inco-

incolumitate decernendum erat. Eligebant autem illas, quæ in utriusque regni erant confinio, ad quas non nisi navigio aditus pateret, magnitudine parvas, ut utrinque in ripa adversa cæteri milites pugnæ modum & rationem commodius spectarent. Talem describit Saxo lib. IV. in qua Uffo de Saxoniæ regis filio, insigni athleta, contra duelli leges stipato, victoriam reportavit. Verba hæc sunt: *Ex pacto pugnæ locus expetitur. Hunc fluvius Eidorus ita aquarum ambitu vallat, ut earum interstitio repugnante, navigii duntaxat aditus pateat. Quem Uffone sine comite petente, Saxoniæ Regis filium insignis athleta consequitur, crebris utrinq; turbis alternos riparum anfractus spectandi aviditate complentibus.* Sic lib. VII. Olo cum Hialto & Scato in insula pugnabat, ut Esam Wermorum reguli filiam à raptoribus immunem præstaret *Pugnæ locum insula dabat*, inquit, *stagni medium tenens, unde non longe vicus abest, qui cladis hujusce modi monimentum Hialti & Scati fratrum vocabula conjunctim referens, præbet.*

Abrogato duello tanquam medio nimis cruento, causarum cognitio duodecim viris commendata est, qui quod æquum, quodque justum, publica auctoritate pronuntiarent, quorum etiam judicio & sententiæ omnino standum erat. Hanc controversias decidendi rationem primus invexisse videtur *Regnerus*, cognomento *Lodbrog*, qui circa annum Christi

 DCCCXX.

DCCCXX. vixisse putatur. De eo enim *Saxo* noster lib. 9. A *Danis* ad *Anglos* defluxisse judicium hoc duodecim virale, arguunt leges, hac de re ab *Ethelfredo* latæ & à *Lambardo* editæ. Dissimilem vero controversias finiendi modum, sed recentiorem, ut credo, proponit Christianus Cilicius d. l. quo quidem res discussa ad duodecim viros ultimo devolvitur, qui liti finem sua decisione imponunt salvo jure provocationis. Sed Lodbrogi constitutione omnis inter actorem & reum sublata videbatur actio, nec ullus à lata semel sententia relictus provocandi locus.

Sed hanc legem ita obtinuisse credo, ut in levioribus & minoris momenti litibus locum habuerit, duello nihilominus de gravioribus causis decertantibus magnatibus. Qui enim Saxonem nostrum diligentius lustraverit, inveniet eo tempore, quo Poppo ignitæ ac ferreæ chirothecæ miraculo incolas ad fidem Christianam convertere studebat, adhuc viguisse per duellum controversias finiendi rationem, quæ tum abrogari iterum cœpta est. Audi autorem ipsum: *Quo evenit, ut Dani abrogata duellorum consuetudine, plerag causarum judicia eo experimenti genere constatura decernerent, controversiarum examen rectius ad arbitrium divinum, quam ad humanam rixam relegandam putantes.*

Haraldus septimus novam, sed perniciosam lites dirimendi rationem introduxit, qua reus se ab omni

cri-

crimine, ſolo juramenti ſacramento, contra omnem teſtium fidem purgare potuit, quæ tamen diu durare non valuit. Qualis vero fuerit in Islandia per ſacramentum ſe purgandi ratio, eleganter tradit Arngrimus Jonas, rerum Islandicarum lib. I. cap. IX. *Ceſpitem oblongum, veluti laminam quandam humo exciſſum, & in fornicis morem ſurgentem, ita ut fines ambo humi affigerentur, de veritate teſtaturus ſubire juſſus eſt. Super quem ſi nullo fulciente non corruit fornix ille ceſpititius, fidem meruit: ſin minus, criminis falſi damnatus eſt. Sin in eodem ſacramento,* (verba Angrimi repeto) *fœdus erat, haſtam fornici fulcro ſuppoſuere, ſub quo etiam confœderandi duo, tres, pluresq; conſiſtentes, cruorem manibus aut aliunde ferro elicitum una miſcebant, ad mutuam fidem hoc pacto obſignandam. Vbi id præcipue unicuiq; incumbebat (præter mutuum auxilium, quo in vita unus alteri devinctus erat) ut uno cæſo, reliqui ſuperſtites, ſive unus ille, ſive plures, τῦ συμμάχυ necem quavis ratione ulciſcerentur; idq; elicitus corpore cruor ſignabat, etiam ſanguinem, adeoq; vitam, in mutuam ſalutem & ultionem impendenda.* Paulo aliter fœderis formulam delineat Saxo noſter lib. I. *Icturi fœdus veteres,* inquit, *veſtigia ſua mutui ſanguinis aſperſione profundere conſueverunt, amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi.* Hoc pacto Liſerum & Haddingum fœdus iniiſſe, ac Lokero Curetum tyranno bellum denunciaſſe, narrat ibidem. Addit vero ibidem Arngrimus, ritum ſu-

pra propositum *aliqualis pœnæ, subjectionis, vel satisfactionis, loco usurpatum* reperiri, cum peccatum vel offensa aliqua hoc pacto luenda fuit, *ut nempe quis sub terreum fornicem, aliqua tamen ratione suffultum* (quia tum sacramentum nullum suberat) *semel aut iterum subiret.* Hinc quidam, cui de offensa hoc pacto satisfactum, gloriatus est, *adversarium suum infra sues dejectum.* Sues enim rostro tantum, non vertice, humum subintrant.



HEN-

HENRICI BANGERTI
V. CL.
De
DVELLO, VT IVDICIO DIVINO,
COMMENTATIO.

RAtio veritatem per duellum inquirendi perantiqua est, multisque nationibus olim usitata. De *Vmbricis* narrat Stobæus, Serm. IIX. ex Nicolao de moribus gentium: Ὀμβρικοὶ, ὅταν πρὸς ἀλλήλȣς ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες, ὡς ἐν πολέμῳ μάχονται, καὶ δοκȣ̃σιν δικαιότερα λέγειν, οἱ τȣ̀ς ἐναντίȣς ἀποσφάξαντες. Etiam apud *Germanos* nostros, gentem pugnacissimam, ipsius *Augusti Cæsaris* ætate, mos erat, manu litem discernere. *Q. Varo* ficte gratias agunt, *quod lites* (Germanorum) *Romana justitia finiret, feritasq; sua novitate incognitæ disciplinæ mitesceret, & solita armis discerni, jure terminarentur*, apud. *Vellej. Paterculum Vol. II.* Subsequentibus seculis ad plerasque nationes Europæas consuetudo hæc penetravit. Cum enim perjuria crebro committerentur, jurijurando monomachia substituta est. Jurene an injuria, & olim con-

Ad Librum II Arnoldi Lubecensis pag. 177 & seq. edit. Lubec, an. 1659.

controversum fuit, & hodie disputant Juris interpretes. Quibus addantur *Martinus Delrio, Disq. Magic. lib. IV. cap. 4. q. 4. sect. II. Hugo Grotius Prologom. Histor. Gothicæ.*

Quam autem frequens apud gentes Europæas monomachia fuerit, testantur leges, quas pleræque de illa recta instituenda tulerunt. Nam post Barbarorum inprimis in Romani Imperii provincias crebro factas irruptiones, in usu tam frequenti esse cœpit, ut etiam Imperatorum & Regum auctoritate, legibus atque edictis communita sit, & multæ *Francorum*, *Longobardorum*, *Saxonum* atque aliorum populorum sanctiones de eadem constitutæ legantur. *Saxones* illam suo quodam jure ad se pertinere gloriantur, atque quo ordine, quibus de causis, cum quibus, quo armorum genere, illa suscipi debeat, in jure suo Saxonico sanxerunt. Sachsen-Spiegel lib. I. artic. LXIII. Sächsisch Weichbild artic. XXXV. & in Glossa. Ipsi *Islandi*, magno Oceano â nobis discreti, monomachiam ad lites de prædiis, hæreditatibus, dotibus & aliis rebus finiendas, certis legibus munitam, antiquissimis temporibus usurparunt; ut commemorat *Arngrimus Ionas de rebus Islandicis lib. I. cap. 9.*

Latinis *duellum*: in Legg. Antiquis frequentissimè *Dei Iudicium*, item *Campus*, pugnantes verò *Campiones* dici consuevere. Nonnunquam antiquis monomachia

[illegible] *ba-*

VVehadinc appellata fuit. Ut *Decreto Thaßilonis* Bavari, anno 772, facto : *Si quis de quocunq; reatu accusatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare, si voluerit, antequam pugnam, quæ* Wehadinc *vocatur, permittat*, Lege X. Et in eodem Decreto : *De pugna Duorum, quod* Wehadinc, *vocatur, ut prius insortiantur, quam parati sunt, ut fortè carminibus vel machinis diabolicis, vel magicis artibus insidientur.* Legg. Popular. V. Ubi *VVehradinc* legendum putat *Marcus Velserus l. V. Rer. Boicar.* Item *Lege Bajuvariorum* : Si alia probatio nusquam inveniri dignoscitur, nec utriusque invasionem compensare voluerint, tunc spondeant invicem, *VVehadinc* quod dicimus, Tit. XI. leg. V.

Adhibitum duellum ferè in omnibus causis est, in quibus veritas per alia rerum documenta erui non posse videretur. *In Veneficio*: Si mulier maritum veneficio dicatur occidisse, vel dolo malo ad occidendum prodidisse, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat : aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur, *Lex Anglior. Tit. XIV.* Ita *in Homicidio* purgando frequens ejus usus : Si quis Adalingum, aut liberum occiderit, & negaverit, cum XII. juret, aut in campum exeat, *Lex Anglior. Tit. I §. 1.2 3.* Nec minus frequens *in adulterii suspicione* amoliendâ : Si quis alii crimen de uxore suâ miserit, quod cum eâ fornicatus esset, liceat ei, cui

crimen mittitur, aut ſacramento, aut per campionem ſe purificare: & ſi ei probatum fuerit, animæ ſuæ incurrat periculum, *Lex Longob. lib. I. Tit. XXXII. cap. 3. Frotho III.* qui tempore nativitatis Chriſti Danorum regnum tenebat, ſicut volebat, *ut de qualibet lite ferro decerneretur*: ita *ut ſuſpectus illati ſtupri duello ſe purgaret*, judicabat. Nam ita de illo *Saxo l. V. De qualibet controverſia ferro decerni ſanxit, ſpecioſius viribus quam verbis confligendum exiſtimans. Quod ſi alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet; perinde ac victus cauſæ detrimentum reciperet. Sin autem quavis de re pugilem popularis impeteret, ipſum armatus exciperet, cubitali duntaxat ſtipite pugnaturum.* Eodem tempore cum inter *Hithinum*, & *Hoginum* ſimultas orta eſſet, quod Hithinus apud Hoginum quorundam obtrectatione inſimulatus eſſet, quaſi filiam illius ante ſponſalium ſacra ſtupri illecebris temeraſſet: quod tunc immane cunctis gentibus facinus habebatur, & Rex controverſiam ſecundum alias leges componere non poſſet, ut ferro decernerent, permiſit. *Saxo* his verbis expreſſit: *Quamobrem Frotho miſſis, qui ſimul eos accerſerent, ſcrupuloſius cauſam ſimultatis inquirit. Qua cognitâ, juxta legis â ſe latæ formulam pronuntiavit. Videns autem ne ſic quidem eos in gratiam reduci poſſe, patre filiam pertinacius repoſcente, litem ferro decidendam edixit: Id quidem ſolum dirimendæ controverſiæ remedium videbatur.* Lib. V. Sic qui *furti* inſi-

insimulatus esset, pugna se purgabat: Si quis majorem pecuniam furaverit, hoc est, XII. sol. valentem, vel amplius, aut equum totidem pretii, vel mancipium, & negare voluerit, cum XII. sacramentalibus juret de lite sua, vel duo campiones propter hoc pugnent, *Lex Bojor. Tit. IIX*, §. 3. Etiam *in incendii suspicione* diluendâ usurpabant: Si quis ignem posuerit in domo, & negare voluerit, cum campione se defendat, aut cum XII. sacramentalibus juret, *Lex Bojor. Tit. IX. c.* 4. §. 4. Cum *de agrorum terminis* disceptaretur, etiam huc recurrebant: *Quotiens de commarchanis contentio nascitur, ubi evidentia signa non apparent in arboribus, aut in montibus, nec in fluminibus, & si alia probatio nusquam inveniri dignoscitur, tunc spondeant invicem, VVehadinc*, quod dicimus, *& in campiones non sortiantur, sed cui Deus dederit fortiam & victoriam, ad ipsius partem designata pars pertineat*, Lex *Bojor. Tit. XI. c* 5. In Deposito sibi vindicando: *Si quis per seipsum, aut per suum nuncium, quidquam alicui deposuerit, & depositum, cupiditate victus, negaverit, si XX. sol. pretium fuerit, ut per pugnam veritas decernatur, edicimus*, Otto Imper. ibid. c. 35. In *falsâ accusatione diluendâ*: Si quis qualemcunque hominem ad Regem accusaverit, liceat ei, qui accusatus fuerit, per campionem, id est, per pugnam crimen ipsum desuper se ejicere, Rex Rotharis Leg. Longob. l. 1. Tit. l. c. 7. In *libertate probanda*: Si servus propter appetitum libertatis, liberum se vo-

caverit, liceat domino propter difficultatem approbationis insidiosæ, aut per se, aut per suum campionem, litem dirimere. Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus, aut ætas eum pugnare prohibuerit, *Otto Imper. Leg. Longob. l. II. Tit. LV. c. 39.* Imo verò *in plerisq; causis*, in quibus veritas aliis rerum documentis investigari non posset, ad hoc probationis genus, tanquam ad sacram anchoram confugiebant.

Ut autem rite pugnaretur, *variæ cautiones adhibitæ sunt*; de quibus nonnullas audiamus. Primum circulum pugnatorium ingrediebantur, & jurejurando confirmabant, se causam, pro quâ pugnaturi erant, pro veriore agnoscere. *Fridericus II. Imper:* Præsenti lege decernimus, ut campiones â modo, postquam circulum pugnatorium, (prout est moris) ingressi, corporalia subeant sacramenta, quod juxta probabilem credulitatem eorum credunt, dominos, pro quibus pugnam intraverint, veritatem fovere, & quod cum omni virtute & potentia, studio & vigore partes, pro quibus pugnaverint, adjuvabunt, *Constitut. Sicul. l. II. Tit. 35. c. 1.* Cautum itidem fuit, ut ne quis in arenam descendens fascino uteretur. Nullus campio præsumat, quando contra alium pugnando vadit, herbas, quæ ad maleficia pertinent, super se habere, nec alias tales ac similes res, nisi tantum arma sua, quæ conveniunt, *Lex Longob. lib. II. Tit. LV. c. 11. Armorum genus*

quo

quo pugnabant, etiam non ſemper idem fuit. Ludovicus Imper. jubet, ut teſtes ſuſpecti fidem teſtimonio ſuo, *ſcutis ac fuſtibus* de certando, faciant, Leg. Salic. Capitul. Ludov. c. 1. item Leg. Longob. l. II. Tit. 51. c. 10. & 11. Tit. 55. c. 29. De *clavis* ſeorſim præcipit *Fridericus II. Imperator*: Statuimus, ut campiones habeant clavas æquales, nec ſpinoſas, nec cum aguzonibus, nec habentes cornua, nec ex parte fuſtis ad modum unguis, *Conſtit. Sicul. l. II. Tit. 37. c. 1.* Licebat etiam alium ad pugnam pro ſe ſubſtituere, (Quem mercede conducebant, *Lex Friſion. Tit. XIV. c. 4.*) *Ludovicus* Imperator: Et in ſeculari quidem causâ hujuscemodi teſtium diverſitas campo probetur: in Eccleſiaſticis autem negotiis, crucis judicio rei veritas inquiratur. Hoc eſt de timidis, & de imbecillibus, ſive infirmis, qui pugnare non valent, ne propter hoc juſtitiâ ſuâ careant, cenſuimus faciendum, *Leg. Salicâ Capitul. Ludovici c. 1.* Idem ſancit *Otto I.* Imperator: Quæcunque lege, in omni regno Italico vixerit homo, hæc omnia in his capitulis per pugnam decernimus obſervare: ita tamen, ut ſi quem eorum juvenilis, aut decrepita ætas, ſeu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro ſe pugnantem ponere, & alteri ſimiliter facere, *Leg. Longob. Tit. 55. c. 38.* Cautionem de ætate reſtringit *Fridericus II.* ad eos, qui nondum XXV. annos expleverint, & qui LX. annum nondum attigerint, *Conſtitut. Sicul. lib. II. Tit. 37.*

In causâ tamen homicidii non facilè licebat alium pro se ad pugnam educere, uti patet ex collatione, *Leg. Longob. l. I. Tit 9. c. 38. & Tit. 10. c. 4. & Leg. Frision. Tit. 14. c. 4.* Alias pugnantium conditiones proponit Fridericus Imperator, *Const. Sic. l. II. Tit. 3.*

Exempla hujus monomachiæ, illustrium præsertim personarum, multa iisdem temporibus, quibus leges hæ valuerunt, occurrunt.

Adalulfus quidam, summo inter Longobardos loco natus, reginam Gundebergam de stupro interpellârat. Cum repulsam convitiumque tulisset, illam apud regem nefariorum consiliorum arguit. Ipsa in carcerem conjicitur, ex quo tandē post triennium liberatur, cum Adalulfus cum *Carello* (*Pittone* aliis) qui reginæ castitatem tueri constituerat, congressus superatur, anno 631. *Paul. VVarnefrid. de Longob. l. IV. c. 49. Petrus Bizarus Histor. Genuens. l. III. p. 51.* Bero, Barcinonæ comes, violatæ fidei â vicinis, Aquisgrani in Comitiis Imperii, accusatus, ut se purgaret, cum accusatore suo equestri pugnâ decertat, & vincitur. Damnatur ergo capitis. Imperator tamen pœnam mitigat, & Rotomagum in exilium secedere jubet. *Annal. Reg. Francor. anno 820. Annal. Fuldens. eodem.* Bernhardus, Ludovici Pii Cameræ Præfectus, adulterii cum Augustâ commissi accusatus, primum in Hispaniam confugerat. Inde anno 831. reversus, Imperatorem adit: atque

ab

ab eo contendit, ut sibi facultas detur, purgandi sese more Francis solito, *id est crimen* objicienti semet objiciendo. *Sed* cum accusator nullus compareret, purgatio facta est juramentis, inquit *Aimoinus de gest. Francor. l. V. c. 13.* Egillus, Islandus, Bergomundum, Norvvegiæ magnatem, circa annum 931. in jus vocat. Cum videret, se propter animum judicis (is erat Blodoxius, Norvvegiæ Rex) à se aversum causâ cadere, ad consuetudinem lege receptam confugit, & adversarium ad monomachiam provocat. *Arngrimus Ionas l. II. p. 130.* Idem *Egillus* magnum athletam *Liotum* duello vicit, cum quo loco Fridgeiri manum conserebat. *Id. p. 133.* In alio judicio cum Atlas, Bergomundi frater, perjurio ipsum vincere studeret, Egillus cum illo congressus non ipsum tantùm, sed & (quæ lex Islandicæ monomachiæ erat) taurum in circum inductum manibus suis interficit. *Ibid.* Lambertus, Thusciæ Marchio, tempore Henrici Aucupis, circa annum 933. duello probat, se Hugonis Regis fratrem esse. *Liuthprand. Ticinens. l. III. c. 13.* Filia Ottonis M. in suspicionem impudicitiæ à Cunone adducta, rogatu patris per Burchardum Comitem, duello cum Cunone inito, vindicatur. *Ditmar. Episc. l. II. p. 24. Reginonis Continuator l. II. anno 950.* qui tamen in nominibus variat. *Otto M. Abderamo* Duci Saxoniæ in Diplomate anno 967. X. Kal. April. dato, potestatem concedit, possessionem bo-

norum

norum suorum per Sacramenta aut pugnam tutandi. *Gero* Comes à *VValdone* quodam accusatus, illum anno 979. in singulari certamine occidit, *Lambert. Schaffnaburg. anno* 979. *Conradus Salicus* duello inter Sclavum & Saxonem permisso, dissidium eorum tollit, circa annum 1025: *VVippo de Conrado. Gunildis*, Hardecnuti Regis Angliæ soror, eademque Henrici III. Imperatoris conjux, castitatem suam duello inter accusatorem, & unum ex ministris instituto testatur, circa annum, 1039. *VVillielmus Malmesburiensis* l. 11 c. 12. *Bela* Dux, cum Pomeranorum Duce in monomachia congreditur, eumque gladio confossum sternit, circa annum 1043. *Ioan Thvvrotz. part. II. c.* 38. Ditmarus Comes, Ducis Bernhardi frater, ob initum contra Imperatorem Henricum III, consilium, ab Arnoldo, milite suo, delatus, cum eodem congressus, ut objectum crimen manu purgaret, occubuit. *Lambert. Schaffnab. anno* 1048. Ipse Imperator Henricus III. ad duellum cum Galliarum Rege, se offert, anno 1056. quo paulo post obiit. *Lamb. Schaffnab.* Otto Bavariæ Dux, insidiarum contra Henricum IV. accusatus, duello se contra delatorem tueri in Comitiis jubetur. *Idem anno* 1070. *Conrad. Vrsperg. anno* 1071. Regenger, Henrici IV. familiaris, se & alios, intimæ admissionis aulicos, ab illo ad trucidandum Rudolphum & Bertholdum Duces subornatos calumniatur, nec dubitat crimini delato fidem duello facere.

Impe-

Imperator contra ad se purgandum, duellum cum Rudolpho expetit. Udalricus de Cosheim, qui socius consilii fuisse â Regengero prohibebatur, profitetur, se loco Imperatoris, consertâ cum Regengero manu, Cæsaris & suam innocentiam testaturum. *Schaffn. anno* 1073. Burgvvido ad vadum Agrimesvvedel (*in Holsatiâ*) fecit duellum contra campionem Slavorum, interfecitque eum: ubi & lapis in monumentum positus est, inquit *Adam. Bremens. l.* II. *c.* 9. Duellum quod Cacia pro Othobono Elia; Pistellus pro Jacobo Grillo, Prætoris Genuensis auctoritate, anno 1232. inierunt, & eventum ejus, describit *Petrus Bizarus Histor. Genuens. l.* III. In Galliâ, Carolo VI. regnum tenente, circa annum 1386. duo ex familia Petri Alenconii Ducis proceres, Jaquetus Grisus, & Johannes Carongius, magnâ familiaritate usi sunt. Jaquetus Johannis absentis uxorem per vim stupravit. Cum postea negaret factum, Senatus Parisiensis statuit, ut monomachia litem finirent. Johannes Jaquetum occidit: Interemtum carnifex pertractum ad patibulum suspendit, *Robert. Gagvin. l. IX. in Carolo VI. Frossard. l. III initio.*

Atque in hunc quidem modum antiquis istis & barbaris seculis controversiæ diremtæ sunt, donec paulatim majore luce veritatis cœlestis animos hominum collustrante, sublata est. Sane inter ipsos Veteres, quo tempore plurimum huic exanimis generi tributum est,

M cor-

cordati viri reperti ſunt, qui id improbarent. Verum ita inveterata opinio animos inſederat, ut illi parum efficerent. *Rotharis*, Longobardorum Rex, cum de monomachiâ, ex ſuſpicione homicidii inſtituenda, quædam ſanxiſſet, ſubjicit: *Incerti ſumus de judicio Dei: & multos audivimus per pugnam ſine juſta causâ ſuam perdere. Sed propter conſuetudinem gentis noſtræ Longobardorum, legem impiam vetare non poſſumus*, Leg. Longob. l. I. Tit. 9. c. 23. *Agobardus*, Lugdunenſis Epiſcopus, epiſtolam prolixam ad *Ludovicum Pium*, Imperatorem, contra Legem â *Gundebado*, Burgundionum Rege (is anno 484. tempore Clodovæi, Burgundionum regnum tenebat, *Sigebert. Gemblac. Robertus Gaguinus l. I.*) de duello latam, ſcripſit, in quâ argumentis è ſacris literis, & ratione petitis aſſerit, conſuetudinem hanc Chriſtianæ religioni ê diametro eſſe contrariam, qua non ſolùm valentes, ſed etiam infirmi & ſenes laceſſantur ad certamen, & pugnam, etiam pro viliſſimis rebus; quibus feralibus certaminibus (ſunt verba Auctoris) contingunt homicidia injuſta, ac crudeles & perverſi eventus judiciorum, non ſine amiſſione fidei, & charitatis ac pietatis, dum putant Deum illi adeſſe, qui potuerit fratrem ſuum ſuperare. In ejusdem *Agobardi* monumentis extat libellus, cum hac inſcriptione: *Liber de divinis ſententiis digeſtus, cum breviſſimis annotationibus, contra damnabilem opinionem, putantium, divini judicii veritatem,*

tem, igne vel aquis, vel conflictu armorum patefieri. Vid. Notas nostras ad l.1. c.83. n.19. Etiam Imperator *Fridericus II.* cum tandem summam iniquitatem, quæ sæpe in duello committebatur, observaret, prorsus illud abrogavit, excepto tantùm homicidio, & aliis paucis casibus; de quibus *Constitut. Sicul. l.11. Tit.32.33. & 34.* Quam ægrè tamen inveteratum morem dimiserint, vel ex eo liquet, quod *Danthes Aligherius* adhuc suo tempore, i.e. circa annum 1324. de æquitate monomachiæ disputet, atque leges in ea observandas præscribat, *lib. II. de Monarchia.* Plura de monomachiâ, *Danicâ* inprimis, collegit *Olaus VVorm, Dan. Monum l.1.c.9. & 10.* ut, quod arma, quibus instructi incedebant, *galea, clypeus, ensis & hasta* fuerint, item quod *provocatus primum ictum in adversarium direxerit,* & alia. Nam cum tempore *Rolvonis*, (qui anno 566. ante Christum natum in Daniâ regnare cœpit) *Agnerus* cum *Barcone* decernere vellet, in ineundo duello, utri prior feriendi copia deberetur, diutule certatum est. *Non enim antiquitus*, (sunt verba Saxonis l.11.) *in edendis agonibus crebræ ictuum vicissitudines petebantur, sed erat cum intervallo temporis etiam feriendi distincta successio, rarisq; sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussionum magnitudini, quam numero deferretur.*



PHILIPPI CAMERARII,
J.C.TI ET CONSILIARII NORICI,
De
SINGULARI CERTAMINE,
VEL
DUELLO, MEDITATIONES.

Centuria II. Medi- tat. Histor. cap. 19.

DE *Duello*, quod â Græcis Μονομαχία dicitur, multi tam veteres, quam recentiores Jureconſulti prolixe ſcripſerunt. Fuit autem id olim tam inter Ethnicos, quam inter Chriſtianos, & adeo inter omnes gentes, ſicut eſt hodie adhuc Chriſtianis cum Turcis, in finibus Hungariæ & Dalmatiæ, *ad oſtentationem fortitudinis* uſitatiſſimum. In quo exercitio non ita pridem felix, & quidem novies, pugnans gladio Dalmatico (quem duabus manibus, ore mordicus, tenens frenum equi regebat) victor contra provocantes Turcos fuit, *Georgius Thurius* Pannonius, præfectus militum Cæſareanorum in Hungaria ſuperiori, atque *terror Turcorum* ob eximiam fortitudinem, & immanes vires appellatus fuit, donec in velitatione quadam,

Anno

Anno 1571. pulsis aliquot hostium turmis, in insidias illorum, sibi dolose comparatas incideret, quorum multitudine oppressus, multis vulneribus acceptis & datis, fortissimæ pugnando occumberet. Dignus perpetua laude & memoria heros magnanimus & præstans.

Habitum autem olim fuit duellum *loco probationis rei occultæ*, & ex illo genere *probationum*, sicut proxima meditatione de *ferro candenti*, *Aquave calida* diximus, *ut liquere poßit, aliquem habere jus, aut esse insontem.* Usque adeo autem hoc probationis genus violentum passim inolevit, ut teste *Saxone* Historico, *Fronto* Rex Daniæ legem tulerit, *ut omnes controversiæ, qualescunq; eæ essent, duello definirentur.* Hoc adhuc in *Moscovia* usitatam esse, refert *Bodinus*, ubi quoque multa memorabilia de duello recenset. Cæterum cum prudentiores animadverterent, hæc singularia certamina esse, ad eruendam veritatem, fallacia & incerta, & non raro justiorem partem succubuisse, vulgaris hæc probatio, tanquam vulgarium hominum inventum, & quæ non habeat vim, & â jure ac legibus interdicta fuit, tam per recentiores, quam priscos Canones, ut in Decretalibus *De purg. vulgari*, & Ibidem *De cleric. duello certantibus*, & 2. quæst. 5. cap. *Consuluistis*, & capit. *Monomachia.* Ideoque in cap. *Significantibus. de purgat. vulgari* describitur talis casus: *Duos, quorum unus alterum accusabat furti, inter se probationis causa pugnasse duello, & justiorem cecidisse. Nam furtum*

De republ. lib. 4. cap. ult.

inventum fuisse apud alium. Non solum autem olim duellum in seriis usitatum, sed etiam ludicris frequentatum fuit: unde *Gladiatorum* nomen celebre apud Romanos erat, inter quos etiam *Commodus* Imperator potius versari, quam in curia maluit. Sed plerisque Christianis Imperatoribus ejusmodi cruenta spectacula non placuerunt. Sic ut videamus in Titul. Cod. *de Gladiatoribus*, ubi inserta est *Constantini lex*, quæ ita dicit: *In ocio civili, & pace domestica, cruenta spectacula non placent*: Ob hanc causam Justinianus in §. 1. Authent. *Vt omnes pareant judicibus*; dicit, *fortitudinem citra justitiam non esse laudabilem.* Appellat autē fortitudinem, quæ cum virtute conjuncta est. Sic *Theodosius* Imperator populo in theatro petenti ab eo gladiatores, respondit: *Pium principem oportere non tantum regnare, sed etiam spectare clementer.* Unde Abbas Panormitanus in cap. *Felicis.* de *torneament.* dicit: *Omnes ludos, in quibus periclitatur hominis salus, aut animorum, omnino tollendos esse, quod pugnent cum verbo Dei.* Etsi autem *Fridericus* Imperator in Titulo *de pace petenda*, in usibus fœdorum, duellum *inter legitimos modos probationum* approbare videtur: Imo in lege antiqua *Bajuvariorum* peculiaris titulus est, *De campionibus & causis, quæ ad eos pertinent*: tamen cum ea rescripta, & leges secundum verbum Dei corrigi oporteat, eæ paulatim in desuetudinem abire cœperunt, earumque loco justiores probationes receptæ sunt. Sed

ut

ut historicas nostras meditationes prosequamur, *Plutarchus* in vita Alexandri recenset, ex ludicro duello, & certamine rixarum, Alexandrum Magnum, felix omen victoriæ, contra Darium, cum mille hominum millibus descendentem, sumsisse. *Ministros*, inquit, *in duas partes se divisisse, utriq; ducem fuisse, quorum alterum Alexandrum, alterum Darium nominarint: incepisse primum gl bas contra sese jaculari invicem, mox ad pugnos, inde accessa contentione ad lapides quoque & fustes à multis pertinaciter perventum. Hæc ut audivit Alexander, jussit ipsos duces singulari prælio decernere, Alexandrumq; ipse, Darium Philotas armavit: duellum exercitus spectavit, in omen futuri eam rem trahens. Dimicatum est acriter, Alexanderq; ille victor, duodecim pagos, & amictum Persicum præmii loco accepit.* Similes conjecturæ factæ sunt à *Narsete*, ut *Procopius* refert. Et *Cornelius Tacitus* in libro *De moribus Germanorum* scribit, eos habere ejusmodi observationem auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. *Ejus gentis* inquit, *cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemq; armis committunt, victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.* Imo non raro Reges vel duces ipsi singulari certamine, vel ante, vel in prælio conflixerunt, ut habemus multa exempla apud *Homerum*, de quo & *Virgilius* duellum *Æneæ* & *Turni* sumsisse creditur; & innumera fere exempla reperiuntur apud Historicos,

præ-

præſertim apud *Q. Curtium*, inter quæ præ cæteris memorabile eſt duellum *Erigii*, ducis Alexandri, & *Sati-*
Lib. 7. *barzanis* transfugæ, qui detractis galeis concurrerunt. Pyrrhum quoque aliquoties ſingulari certamine fortem & magnum animum ſuum demonſtraſſe legimus, inprimis vero vulneratus in prælio cum Mamertinis, hoſtem, magna corporis ſtatura, â quo fuerat provocatus, proſtravit. Generoſus enim Rex hanc provocationem tam ægre tulit, ut cruore adhuc reſperſus, dolore ſimul, & ira percitus, truci & terribili aſpectu in aciem redierit, gigantemque repente adortus, adeo vehementi ictu ejus caput percuſſerit, ut usque ad infimas partes ferro adacto fruſtra fiſſi corporis hinc inde ad terram deciderint. Simili felicitate *Georgius Caſtriotus*, â Turcis dictus *Schanderbeg*, ſingulari certamine, cum antea quoque in hoc genere pugnæ cum Perſis, Scythis, & aliis ſæpius victor extitiſſet, devicit *Fe-*
Lib. V. *ribaſſam*, â quo provocatus ferociter fuerat, ut *Barletius* de ejus geſtis recenſet. Memorabile autem in primis eſt ſingulare certamen, quod Pariſiis regnante Carolo VI, inter duos proceres ex familia *Petri Alenconii* ducis, *Iaquetum Griſum*, & *Iohannem Carongium*, accidit.
Lib 9. Dimicandi cauſa (ut â *Roberto Gaguino* Hiſtor. Franc. refertur) hæc fuit. Erat Johannes eques multa cognoſcendi avidus. Ob id incidit illi animus, aliquorſum peregrinandi. Relicta igitur Argentolii uxore, ut
con-

conſtituerat, abiit. Jaquetus autem Griſus, vel quod mulierem, quæ formoſa erat, amabat, vel quod Johanni nocuiſſe aliquando gauderet, diluculo ſurgens, Argentolium mira feſtinatione contendit, ubi liberaliter exceptus, dicit, ſe videndæ arcis cauſa adveniſſe, quam ſpecioſam eſſe acceperat. Johannis uxor, amicum viro ſuo hominem, reſerato oſtio, in arcem ſola intromittit. At Griſus ſolitudine loci audacior factus, renitentem fœminam ſtupravit: ſtatimque libidine expleta abeunti Griſo, *Tu*, inquit uxor, *fœdiſſime adulter, ſtupri pœnas aliquando lues.* Flagitium autem in adventum mariti cælavit. Cui tandem reverſo, Jaqueti violentiam mœrens detexit. Qua re turbatus Johannes, aſſumptis ſecum aliquot ex ſuis & uxoris amicis, ad Ducem Alenconium rem omnem defert, petitque aut adulterum corripi, aut in certamen deſcendere, pugnæ ſortem experturus. Id ubi dux non admittit, ad Regium Parlamentum querelam retulit. Diem certamini Senatus edicit, Carolus Rex ex edito ſolio duellum ſpectavit. Venerat quoque Johannis uxor, curru vecta, ad quam vir accedens; *Tu*, inquit, *mulier, unica teſtis ades, illati in te ſtupri, cujus gratia duellum hoc ipſe aſſumo. Dic palam, Si juſte adulterum aggredior. Mi vir*, ait uxor, *meæ in te fidei ſecurus accede, nihil tibi mentita ſum.* Ad hæc verba oſculo uxori dato, Carongius in duellum procedit. Qui equeſtri congreſſu mox in fe-

N more

more vulneratus, nec propterea segnior factus, in pedes desiliens, adulterum humo prosternit, atque occidit. Carongium autem mille Francis, & annuo ducentorum Francorum stipendio Carolus donat. Hac sorte interiit fœdus adulter. *Hactenus Gaguinus.* Hanc eandem historiam cum *Frossardus* recensuisset, subjicit.

Lib.III. *Non hic cæca fortuna (quæ solet alioqui in ejusmodi rebus dominari) sed æquitas potius & virtus exercuit suas vires. Nam qui conjugis suæ pudicitiam, vita sua cariorem habuit, & in ea propugnanda capitis periculum non reformidavit, necato adversario palam faciebat omnibus, Esse vindicem Deum, qui scelerum impunitatem non ferat.* Quod si alteram vincere contigisset, jam ex decreto Senatus illa quidem, propterea quod falso credita fuisset accusasse, flammis objecta, maritus autem eo, quo adversarius ignominiæ genere, post mortem etiam affectus fuisset. Dignum quoque relatu est duellum Galli, & Itali, quod

Lib.I. â *Ferrono* de *Gestis Gallor.* in vita Caroli VIII. LV. Regis Galliarum refertur. Id tale habuit principium: *Gallus cum esset parvulo corpore, Landæ nomine, quasi nanus ab Italo Christophoro Zerbulo Genuensi, vasto corpore homine, vocatus; At hic, ait, nanus Herculi tuo clavum est extorsurus. Inspectante Rege, pompaq; insigni parata, & præparatis longo ordine his rebus, quæ ad singulare certamen, nescio vanius, an profusius parari solent, tandem congressi, diu gladiis acriter rem gerere. Vix unquam alias tanto animo, &*

Galli,

Galli, & Itali, in certamen singulare ullos venisse fatebantur. Dum successu aditur utrinq; certamen, dum neutri certum est cedere, dum Italorum præsentia Zerbulo, Gallorum Landæ crescere vires videntur: tandem impacto per viscera gladio jacuit Zerbulus: Iacentem se condonare Italorum nobilitati Landa professus est: isq; in vicinum tentorium delatus, curatus est. Zerbulo Rex victo trecentos nummos aureos, Landæ victori quingentos donavit. His adjungere visum fuit singulare certamen, quod in diuturna obsidione Florentina accidit, idque â *Iovio* ita describitur. *Nec multos post dies,* inquit, *ab insigni, generosoq; certamine Florentinorum quatuor juvenum inexpectatæ celebritatis spectaculum est editum, cum Ludovicus Martellius inter cives nobilitate insignis, ac corporis & animi vigore florentissimus, Iohannem Bandium, pari virium ac ingenii robore præstantem, quod in castris apud hostes esset, ex provocatorio libello hostem communis patriæ compellasset, proptereaq; eum ad singulare certamen devocasset in arenam, ut ibi Marte judice, uter ipsorum honestiorem causam tueretur, ostenderet. Conditionem non abnuit Bandinus, dixitq; ei, si Martellius sibi ascisceret in eam dimicationem socium, ei se parem, iisdem instructum armis, in stadium producturum: atq; ita Martellius Dantem Castellioneum, præferocem ex tota juventute virum, delegit, cui à Bandino oppositus est Albertinus Aldobrandus, vix dum pubescens, immoderati spiritus juvenis. Aurantius juxta castra locum eis sub publica fide funibus circumseptum, triumq; gen-* Histor. lib. 28.

tium præsidiis munitum, certantibus præbuit, cum pari numero à Germanis, Hispanisq; & Italis delectæ cohortes, pugnantes simul & spectantes ab omni injuria defenderent. Arma fuere singulis, singuli militares gladii, neq; aliud tegumentum, præter unam in dextra, ex lorica ferrea, Chirothecam. Dantes, cui sorte ducta par Aldobrandus obvenerat, quanquam circa brachii dextri nervos, primo congressu grave vulnus accepisset, hostem in se insano procursu ruentem, ea impavidi animi firmitate sustinuit, ut ambabus manibus gladium prætendens, in os incumbentis insereret, eumq; evomentem cum sanguine animam, ex templo conficeret. Contrario eventu pugnabat Bandinus. *Nam alternante fortuna, Martellio supra oculum vulnus inflixerat, admirabiliq; judicio, & gladiatoriæ artis peritia, hostem eludens, adacto supra costas gladii mucrone, victum & deditum fateri coegerat. Sed Martellium, relatum intra urbem, usq; adeo gravis ex adversa sorte certaminis occupavit dolor, ut angore potius animi, quam vulnerum dolore, mortem accersisse crederetur. Id certamen sicuti eximiam virilis constantiæ laudem Bandino peperit, ita Danti par fere decus attulisse videbatur, quanquam ille detractis spoliis, planeq; integer, & omnis expers vulneris gloriosus, victoriæ suæ tropæum præferret, & spectatores præclarum totius belli omen acciperent, quod victis pariter atq; victoribus, non omnino lætum finem futurum arbitrarentur.* Hæc *Iovius.* Experientia autem & exitus singularium certaminum declaravit, plerumque accidisse, ut provocans succubuerit,

rit,

rit, & pœnas suæ audaciæ dederit, idque fere infinitis exemplis demonstrari posset: inter quæ ex veteribus est singulare apud *Q. Curtium de reb. gest. Alexandri Magni*, ubi *Dioxippus*, Atheniensis pugil nobilis, nudus & oleo nitens, coronatusque læva tantum puniceum amiculum, dextra validum nodosumque stipitem præferens, provocatorem *Horratam* Macedonem, justis armis instructum, æreo videlicet clypeo, hasta, quam sarissam vocant, læva, dextra lanceam tenentem, gladioque cinctum, cum in congressu exigua declinatione corporis lanceæ jactum vitasset, hastamque antequam in dextram transferret, stipite mediam fregisset, mox gladiatoria agilitate occupatum complexu, pedibusque repente subductis, in terram arietasset, ereptoque gladio, stipite interfecisset, ni prohibitus fuisset â Rege. Lib. 9.

In Historia Veneta *Bembi*, *Iustiniani*, & aliis, recensetur egregium & generosum certamen, vel monomachia; inter Comitem *Iohannem Sonnebergium*, ex prosapia *Druchsessiorum VValburgensium* nobilissima ortum, & *Antonium Mariam* Italum, in bello illo, quod *Sigismundus* Archidux Austriæ cum Venetis, regnante *Augustino Barbarigo* Duce Veneto gessit. Quæ sane diverse â diversis recensetur, prout quisque erga alterutram partem favore, vel odio, affectus fuit. Res autem inter duos illos duello certantes, sicut in *Genealogia* Cap. XX. Ibid. De duello memorabili Germani & Itali.

 verna-

vernacula lingua *generosæ prosapiæ Druchsessianæ VValdburgicæ stirpis*, relata est, recensebo. Anno post natum Christum clↃ cccc LXVIII. cum *Sigismundus Austriacus* numeroso exercitu & auxiliariis copiis Electorum, & Principum Imperii, Venetis bellum inferret, & *Roveretum* ad Athesim obsideret: e contrario Venetorum exercitus in subsidium oppidi veniret; accidit, dum uterque exercitus non procul inter se castra haberent, ut *Antonius Maria*, Ruperti Mariæ Sanseverinatis, copiarum Venetorum Ducis, filius, Italus, voce militari provocaret Germanos, *si unus ex illis duello secum fortitudinis ergo, utra gens bello præstantior esset, dimicare vellet?* Accepit hanc conditionem *Iohannes Comes Sonnebergius*, sicut paulo ante indicavimus, ex Gente Dapiferorum Walburgensium. Conventum itaque est, ut victor mille florenos, & equum atque arma victi, tropæi loco lucraretur. Locus autem certaminis in Ripa Athesis, intra duo castra medius, destinatus est, additis campi custodibus, quos *Griswerthel* vocant, unicuique parti quatuor, viris militaribus, addita pœna suspendii, si quis alius, præter octo illos, vel verbo, nutu, aliove signo, indicium daret. Huc accessit pactum, uter ex pugnantibus, nomen *S. Catharinæ* exclamaret, ut is pro victo haberetur, & tunc demum custodes illi destinati, potestatem haberent succumbenti subveniendi, atque pecuniam, equum, atque arma

Victori tradere tenerentur. Equites igitur armati ambo introgressi carceres & septa ad pugnã parata, mox hastis infestis concurrerunt. Aberravit Sonnebergius; Anton. Maria vero in pectore ejus cuspidem hastæ, absque alia læsione fregit, cujus equus infrenis, concitato cursu carceribus impegit, & cum eo hoc impetu extra eos corruit; qui tamen hoc casu imperterritus, mox assurgens, licet ex equite pedes, intro rursus se recepit, cui Sonnebergius stricto gladio in equo occurrit, & è contra Mariam obvium cum suo gladio habuit. Dum igitur impari pugna eques cum pedite, paribus tamen armis, fortiter pugnant, & Sonnebergii equus sese attolleret, & retrocedens congressum veluti subterfugeret, singulari agilitate ex arte gladiatoria Maria, Sonnebergio gladium eripuit. Is erat ex ejus genere, quibus punctim utimur, & Triecker/vel vulgo Bratspieß/vocantur. Præter opinionem Sonnebergio hoc accidit, qui se tamen ideo non deseruit, sed converso equo, de illo desiliit. Interea Maria, tam suum quam hostis gladium in terram defigit, experiri volens, utrius lamina firmior, & aptior ad inferendos ictus esset; mox abjecto suo, hostis sui retinuit, eoque fretus fortiter in illum irruit. Cui non cessit Sonnebergius, sed clava & pugione sese defendit. Cum vero illam abjiceret, Germanicus exercitus, metu hoc fieri timens, admodum exhorruit. At Sonnebergius aliquot ictibus hostilis

lis gladii pugione excussis, utque â gladio minus periculi esset, propiùs ad illum accedens, luctari cum suo adversario cœpit, qui abjecto gladio, eum amplexum, magna vi prosternere conatur. Sed viriliter â Comite resistitur, donec ambo lassi luctando simul corruunt, ita ut Maria collum ejus dextro suo brachio teneret, ille vero jacentem sinistro fœmore sub se premeret. Resumptis deinde ex lucta paulisper viribus, Sonnebergius sinistra manu dissimulanter explorans, an luctator suus circa nates, aliquo modo extantes, lorica armatus esset, quam detegere posset: Id sentiens, pugione â tergo ex dextra in sinistram translato, sublata lorica hostis sui eum in natibus vulnerare cœpit, qui ab illa parte corporis nudus, sentiens ictus ingeminari, absque mora *Catharinæ* nomen proclamavit, quod ut diximus, erat signum deditionis. Audito hoc, ejus custodes quatuor accurrunt, & Mariam prostratum & vulneratum erigunt atque subtrahunt ex pugna, ne occideretur. Hic fuit monomachiæ finis, ex qua Germanicæ nationis laus & honor admodum aucta, & hostibus formidabilior facta fuit. *Hucusq; Genealogia manuscripta VValburgica.* Cæterum exitus hujus duelli confirmat id, quod præcedenti capite diximus, *plerunq; in duello provocantem victum fuisse.* Arma autem hujus victi Itali, hactenus custodita fuisse in armario Walburgensi, tanquam peculiare tropæum, donec ante

ante pauculos annos Duci Bavariæ petenti data sunt, mihi retulit Generosus Comes *Ioachimus Ortenburgicus* nuper defunctus.

Memorabilis etiam est monomachia, *duorum Hispanorum* nobiliũ, ex levi causa, nempe aleæ lusu, primum orta, & post privatum conflictum reconciliatione veluti sublata, sed deinceps irreconciliabilibus odiis, ex rumore quodam sparso, denuo resuscitata: atque tandem, post acrem congressum, auctoritate Cæsaris interrupta. Duellum autem hoc â nobili Belga, oculato teste, ita descriptum est, ut singulare & jucundum artificium in ejus enarratione appareat. Propterea mihi plane persuadeo, lectoribus suavem forelectionem ejus, & quidem potissimum ob ceremonias, & requisita varia, quæ eo tempore solennia, & usitata fuere.

Cap 21 de duello duorum Hispanorum.

Describitur autem tali modo, *â Ponto Heutero* Delfio. An. cIↃ ccccc XXII. secund. Calend. Januarii, duo viri Nobiles *Valledoleti*, præsente *Cæsare*, administranteque *Castellæ Conestabli*, in foro armati, singulari pugna, parva de causa orta controversia, certavere: cujus rei historiam ac ceremonias hic ad verbum inserere lubuit, ut eam vir nobilis Belga eo tempore cum Cæsare in Hispaniam profectus, ac certamini præsens, lingua Francica exactissime descripsit, ut ejus rei consuetudinem, quæ tum apud Castellanos vigebat, lector discat, ac non injucunda digressione, animum novæ rei grata

O narra-

narratione recreet. Nobiles adoleſcentes duo, vigeſimum quintum ætatis annum ſinguli nondum egreſſi, orti natique *Cæſar auguſtæ* (nunc *Sarragoſſa*) clarisque Hiſpaniæ familiis, majorum nuptiis inſerti, diu inter ſe animorum ſtudiorumque conjunctione amici, tandem controverſia ex aleæ luſu nata, eo devenere, ut de vita, ſingulari certamine pugnaturi, horam locumque extra urbem, nemine conſcio conſtituerent. Uni nomen erat *Petrus Torrellius*, alteri *Hieronymus Anca*. Prodeunt ad conſtitutum locum, gladio tantum ac cappa (togæ Hiſpanicæ brevioris ſpecies eſt) ut erat conventum, inſtructi. Congrediuntur, ac poſt aliquot hinc acceptos illatosque punctim cæſimq; ſine vulnere ictus, *Torrellio* manu gladius excutitur. Quid faceret inermis, armatum adverſarium contra ſe inſurgentem, mortemque intentam cernens? Concedit *Ancæ*, hac lege, victoriam, victum ſe faſſus, ne ulli mortalium, quæ geſta erant, aperiret, ſed res perpetuo ſilentio ſepulta maneret: malle enim ſe mori, quam cum ignominia vivere. Promittit per ſanctè ſilentium Anca, repoſitisque in vaginas gladiis, ſeque mutuo amplexi, amici ad urbem domumque revertuntur. Poſt aliquot dies actæ rei hiſtoria in omnium verſatur ore, nil aliud in urbe garruli garrulæque narrabant. Accuſat *Torrellius* *Ancam* violatæ fidei. Negat ſe authore, in publicum emanaſſe, ſed proximi pagi ſacrorum Miniſtrum (Paſtores

ſtores ac Curatores vocant Chriſtiani) in propinquo deambulantem, paſcentiaque pecora ſua inſpicientem, pugnam ejusque eventum conſpexiſſe, ac hominibus narraſſe. Examinatur ſacerdos ruralis. Non ſatis ſibi conſtat, ac plus quam decebat, *Ancæ* ſe deditum addictumque, demonſtrat. Rejicit hac de cauſſa ejus teſtimonium *Torellius*, perſiſtitque in accuſando *Anca*, eique datæ fidei transgreſſionem, viro nobili indignam, exprobrat. Ille aliter rem ſe habere aſſerens, in eo obſtinate perſtat; Quumque aliter veritatem probare non poſſent, ſingulari certaminis judicio rem committunt, oblatoque Cæſari ſupplici libello, petunt, pro Regni Arragonici ac Caſtellani more, utriusque petitioni ſubſcribere, locum diemque certamini ſtatuere dignetur. Cæſar eos ad Caſtellæ Coneſtablem rejicit, quod ad eum hujusmodi rerum ſpectet judicium. Coneſtabilis omni ratione eos â pugna deterrere conatus, cum nihil proficeret, neque ſecundum leges eis locum denegare poſſet, petitioni conſentit, diemque ſe ſiſtendi in foro Valledoletano, vigeſimum nonum Decembris hujus anni ſtatuit. Præparatur in foro Valledoletano locus quinquaginta in longitudine, ac triginta ſex in latitudinè paſſuum, perticis acuminatis duplici ordine in terram defixis, ac trabalibus transverſis munitionibus inter ſe conjunctis. Primæ interioris ordinis perticæ quinque pedibus terra ex-

ra exſtabant, exterioris ordinis ſex: eratque inter hos ordines intervallum octodecim pedum, in cujus medio (longitudinem areæ æſtimando) invicem ex oppoſito duæ erant è ligno erectæ ſcenæ. Si latitudinem areæ ſpectes, una ab ejus dextra, altera â ſiniſtra ejus parte poſita, conſpiciebatur. In medio utriusque ſcenæ, ſublimis ſtabat ſedes, aureo inſtrata panno, ac umbella aurea protecta; ſcenæ ſericis tapetibus ſuperbe erant tectæ. Una enim Cæſari, altera Coneſtabili erat parata. Ab altera areæ parte minores ſcenæ modeſtius Inſtructæ, paratæque, propinquis ac affinibus eorum, qui erant congreſſuri, ſtabant. Ad latera minorum ſcenarum duo erant erecta tentoria, in quibus pugiles ſe erant armaturi. Areæ ſilices, arena ac ſabulo, contra lapſum erant tecti. Hora diei undecima erat conſtituta. Primus omnium *Cæſar* adveniens, ſuam aſcendit ſcenam, dataque eſt ei virgula deaurata, qua in terram projecta, pugna dirimebatur Præcedebant advenientem Cæſarem viri Nobiles, tum Legati ejus Caſtrenſes. Latera cingebant corporis cuſtodes; pone ſequebantur tubicines ac tympaniſtæ. Paulo poſt venit & Coneſtablis, vir ſexagenario major, ſed corpore animoque vegetus, oris vultusque gravitate dignitatem, quam ſuſtinebat, referens. Indutus erat toga talari aurea, inſidebatque equo Hiſpanico, qui ſumptuoſiſſimè ex auro ſericoque erat inſtratus: ſimilique

ratio-

ratione exornati erant quadraginta viri nobiles, ejus equum pedibus præcedentes. Sequebantur amanuenses sex in equis, vestiti holoserico lutei coloris, equis serico panno (quod *satinum* vocant,) cœrulei coloris instratis. Præferebatur ei, ut Regis legato, gladius vagina conditus ob Regis præsentiam. Sequebatur ensiferum armiger, veste gentilitia ejus arma habente. Quum in aream Conestablis venisset, ad Cæsaris scenam accedens, eum inclinato corpore honorans salutat, tum scenam suam conscendit, ac in sede considet. Pedestres equestresque Cæsaris corporis custodes, aream circumdantes, intra perticarum ordines stabant, neminique præterea hic aditus patebat. Tum prodit Torellius pugnæ provocator, comitatus legato castrensi, instructore (*Parinum* vocant) Ammirate Castellæ, Duce Vejare, Alburquerquii, ac multis aliis viris illustribus. Indutus erat veste breviori, texta ex auro & serico, martiumque pellibus suffulta. Præferebatur illi bipennis ex eo genere, quas Franci *Hachas* vocant, gladius Hispanicus lateralis, quo punctim utuntur, tabula referens gentilitia signa, ac vestis militaris. Cum hac tabula, ac aliquot aliis, quæ certaminis leges breviter continebant, ad Cæsarem veniens, summo exhibito honore eum veneratur, idemque ad Conestablem conversus faciens, tentorium suum ingreditur. Tum prodit in aream *Anca*, ad certamen à

Torrellio provocatus, ſimili modo veſtitus, niſi quod veſtis fultura ex arminiorum eſſet pellibus conſuta, comitatus, ut provocator, Legato caſtienſi, inſtructore, Marchione Brandeburgenſi, Comite Genevenſi, Duce Najarano, Albano, Comite Bonaventano, Marchione Daguillare, multisque aliis; præferebanturq; ea illa omnia, quæ Torellio. Venerato Cæſare ac Coneſtable, ad tentorium deinde ſuum properat. Appenſæ fuere utriusque tabulæ, cum gentilitiis inſignibus, ac veſte militari, ante Coneſtablis ſcenam. De hinc Coneſtablis utrumque ad ſe vocat, ac manum præſentis tenentes ſacerdotis, imponunt libro Evangeliorum, ac ligneo cruciaffixi Chriſti ſimulachro, *jurant, ſe in pugnam deſcendere opinione defendendæ juſtæ cauſæ, neq; ſe ullo uſuros fraudis, doli mali, præſtigiarum, nec veneficii genere, herbarum, nec lapidum poteſtate, ſed corporis ingeniiq; tantum viribus pro victoria,* Dei, *Divi Georgii, Divæ Virginis Mariæ*, ac inſtructorum ſuorum auxiliò annixuros: Deinde inſtructores utriusque pugilis arma in lignea arca ad Coneſtablem deferunt. Inſpicit ille tam ea, quibus erant certaturi, quam quæ corpora erant tectura. Deinde in ſtateram collocata, pondus exquirit. Non enim minus nonaginta pondo ſimul pendere debebant, ſuperare poterant. Quo facto, arma in utriusque tentorio reportantur. Tum ab utraque parte vir nobilis ad tentorium adverſæ partis mittitur, ut arma indu-

induentibus ſint præſentes, dolumque prohibeant. Quod cum ſit, Coneſtablis è ſcena ſua in aream deſcendit, ac magna cum gravitate, quæ neceſſaria videbantur, ordinat ac præcipit. Deinde duodecim ſtipatus viris nobilibus, in uno è quatuor areæ angulis conſidet, totidemque viros nobiles in angulum ſibi oppoſitum mittit. Reliqui duo anguli tribus viris nobilibus ſinguli cuſtodiebantur. Tum facto tubis ſilentio, Cæſaris legatus Caſtrenſis, in ſingulas areæ angulis alta voce edicit, *ne quis pugnæ tempore, ſub pœna vitæ, tumultum excitet, aut certantes verbo, voce, ſternutatione, ſibilo, nutu, manu*, aut alio corporis motu ſignoque, juvet aut terreat; animum addat, aut minuat, attonitum reddat, aut inflammet, arma ſumere aut ponere faciat, niſi ii qui ad hoc ſint deſtinati. Exinde provocator *Torellius* ferro ex omni parte tectus, comitatus ſuo inſtructore, in aream prodit, manu bipennem antiquam tenens; ſiniſtro lateri appendebat gladius. Rogat Coneſtablis, quis eſſet, ac qua de cauſa armatus intraſſet; prodit nomen, cauſamque adventus. Coneſtablis faciem ejus nudat, agnitumque admittit, reponit caſſidem, ac ire jubet in alterum areæ angulum, ubi à tribus viris nobilibus medius recipitur. Tum Coneſtablis ad oppoſitum it angulum, ac inter duodecim nobiles conſidet; recipitque hic eadem ratione, iiſdemque ceremoniis, provocatum *Ancam*, ac

in al-

in altero angulo inter tres nobiles ſtare jubet, tum ſcenam iterum ſuam aſcendit, ac conſidet. Quum paulo poſt turba iterum ſonuiſſet, pugiles cum inſtructoribus in genua procidunt; preceque ad Deum facta, poſteaq; quam inſtructores eos eſſent amplexi, ac ad fortiter agēdum animaſſent, vale dicto, ad tentoria redeunt. Tum tertio tuba dat ſignum, progrediturque *Torellius* provocator animoſe, ac, ut è greſſu apparebat, magno animi cum ardore. Contra prodit temperato gradu provocatus *Anca*. Cum invicem appropinquaſſent, tam ingenti ictu Torellius Ancæ caput ferit, ut eum paululum retrocedere cogeret, ſed ſtatim Ancæ, recepto animo, par refert. Quumque aliquandiu crebris ac ingentibus ictibus ſe invicem egregie contudiſſent, ac jactatis brachiis verbera ingeminaſſent, bipennibusque ruptis ad luctam fere convolaſſent. Cæſar fortium juvenum corpora bello inutilia reddi ejusmodi nugis, unique conceſſa victoria, alterum per omnem vitam in glorium cum ignominia vivere nolens, quum utrumque ſatis pro honore feciſſe judicaret, conjecta in aream deaurata virgula, pugnam dirimit, convolantesque ſtatim triginta nobiles, areæ cuſtodes, invitos renitentesque pugiles in eos, unde in pugnam deſcenderant, areæ angulos reducunt. Quumque de victoria ac honore inter eos orta eſſet controverſia, Cæſar eam ſua autoritate diremit, utrumque honori ſatis feciſſe, neutro victore pronunciato

ciato affirmans. Exinde Conestablis in arcam descendit, ac deauratã virgulaã summa cum reverentia è terra collectam, capitis sui tegumento impositam, procidens ante Cæsarem in genua, dextramque ejus exosculans, virgulam quoq; deosculatam ei reddit. Jubet Cæsar pugiles invicem conciliet, inq; veterem amicitiam reducat, idemque eis suo nomine præcipiat. Ea enim de causa se pugnam diremisse, quod uterque fortissimè ac generosissime rem gessisset. Habere se utrumq; pro forti honorato ac nobili viro. Proinde cupere se ac jubere, dimissa omni inimicitia, animique acerbitate, posthac inter se amice vivant, ac ab omni in cæterum pugna abstineant. Posse enim eos, qui vires experiri, „ pugnisque honorem quærere volunt, id contra Ma- „ humetistas, Christiani nominis perpetuos hostes, „ majori cum honore, ac certa animæ cum salute face- „ re. Conatus est Conestablis omni ratione Cæsaris „ mandatum exsequi: sed quum eos nullam admittere rationem, nec Cæsari hac in re obedire velle videret, utrumq; eodem momento area exigi jubet, idque per eam, qua intrarant portã, magna constituta pæna, si posthac armis inter se congressi fuissent. Tentatum est postea non semel â viris magnis, in gratiam redirent, sed frustra. Quam ob pertinaciam iratus Cæsar, utrumq; in vincula conjici jubet: mansereque, donec datis dextris invicem amplexi, inimicitiam se deponere testati essent. Sed ex animo id non processisse, si multas ad alterius usque mortem gesta, probe docuit.

P EXEM-

EXEMPLA MONOMACHIÆ ILLUSTRIA, EX VULSONII LIBRO GALLICO,

qui inscribitur Theatre d' honneur, & de Chevalerie.

Tom. II pag. 265. Ilhelmus Comes Augiæ, alias de *Anco*, vulgo dictus *d' Eu*, conjurationem iniit cum *Roberto Mulbrer*, Comite Northumbriæ, de ejiciendo tollendoque rege *Willelmo Juniore*, filioque amitæ suæ *Stephano de Albermarlio* in solio collocando. Octobris (forte *In Octavis*) ergo Epiphaniæ, anno gratiæ 1096, rege una cum omnibus Angliæ Baronibus celebre agentibus concilium *Sarisberæ*, *Gaufridus Baynard* proditionis postulat Comitem *Willelmum*, provocatq; ad duellum: in quo ignave se defendens Comes, à Gaufrido victus est; jussuq; regis & Concilii eruuntur illi oculi, testiculique abscinduntur; dapifero suo *Willelmo de Adari*, filio amitæ ejus, acriter flagellato & suspenso. *Ex antiquo MS. in Henrici Spelmanni Bibliotheca invento.*

pag. 292. Gontranus Rex Burgundiæ, in saltibus *Vogesi* montis venationi indulgens, vestigia bubali occisi vidit, & saltuum Præfecto iratus, torturæ eum subjecit, ut ab eo extorqueret, quisnam hujus sceleris esset auctor. Ille *Chaudunum* è Cubiculariis regiis nominat; qui captus & *Cataulunum* adductus, cum in tortura constanter negaret factum, uterque duellum poscit, quod etiam rex concessit, *Chauduno*, membris ex tortura luxatis, nepotem substituente. Primo concursu Præfectus saltuum hasta haud leviter vulneratus fuit: cui in terram projecto cum incumberet alter, Deo ita disponente, dum cum illo luctatur, proprium gladiū in imo ventre excepit, & cū adversario uno pene momento extinctus est. *Chaudunus*

dunus fuga ſibi conſulere cupiens, cum in aſylum, S. Marcelli eccleſiam ſe recipere vellet, regis juſſu comprehenſus, & patibulo affixus fuit. *Ex Audiguierii libro de Duellis.*

Raymundus Berengarius, Barcellonæ pro innocentia *Mechtildis*, conjugis *Henrici V.* Imperatoris, duellum iniit, cum quodam Imperatoris Cubiculario, qui eam de amore interpellatam, cum acerbius exciperetur, poſtea publice de adulterio accuſavit. Cum nemo enim repertus eſſet, qui eam defendere vellet, Raymundus unico comite itineris aſſumto, monachali veſtitus tunica, ut ad Imperatricem, turri quadam incluſam, tanquam confesſionis ipſius audiendæ cauſa, intromitteretur, obtinuit, & poſtquam innocentiam deprehendiſſet, cum accuſatore depugnavit, eumque vicit, & ad confitendum ſcelus coëgit. Ex *Alphonſi Ulloæ* libro *Del vero honore militare*, anno 1569. *Venetiis* edito. Pag. 291.

Carolo quinto (*Sapienti* dicto) Galliæ regi, duo fuere aulici, alter nomine *Macarii* Equitis, alter *Alberici de Montdidier.* Hunc impenſiori favore proſequebatur rex: unde alter invidia furens, tamdiu ei eſt inſidiatus, donec in quadam ſilva (*La foreſt de Bondis*) eum, unico cane venatico comitatum, nactus, ex inſidiis occidit, eoque ipſo in loco terræ mandavit. Canis vero ille ex eo loco nunquam niſi fame coactus, receſſit: ſed tum heri amicos quærens in urbe Pariſienſi, ſedata fame, ejulans ad Domini ſepulcrum rediit. Donec tandem ſuſpicione hac de re, præſertim *Alberico* nusquam comparente, orta, quidam amicorum, cane indice, corpus ipſius inventum, digniore ſepultura honorarunt. Canis vero ab eo tempore cum amicis & cognatis heri verſari cœpit, & quoties homicidam conſpiceret, in eum rabidis latratibus irruens, occidere connabatur. Quæ res tandem omnibus de Macario ſuſpicionis cauſam præbuit, ita ut & ipſe rex in eam ſententiam adduceretur, ſingulari duello *Macarium*, fuſte armatum, cum cane hanc controverſiam decidere debere. Canis autem *Macarium* jugulo Pag. 300.

comprehensum, scelus fateri coëgit, qui & tanquam homicida Judicum sententia punitus fuit. Historia hæc *Montargii*, in pariete Regis jussu depicta est, eamq; picturam exhibet Auctor, pag. citata.

Pag. 305. *Wilhelmus* Dux Hanoniæ in urbe *Quesnoy* anno 1405. (duellum permisit inter duos nobiles, quod *Bournettus* Hanoniensis, *Sobierum Bernagium* Flandrum accusaret, de proditorie occiso quodam suorum cognatorum. *Bournettus* vicit, & alter factum confessus, & morte punitus est Judicum sententia. *Monstreletus in Histor. Car. VI. cap. 23.*

Pag. 313. Urbis Valentianæ (*Valenciennes*) privilegium est, ut si quis sui tuendi causa aggressorem occiderit, liceat ipsi vel à Magistratu, vel à Principe Hanoniæ, vi istius privilegii petere licentiam scuto & fuste (*à l' ecu & au baston*) depugnandi cum accusatore, se moderamine inculpatæ tutelæ usum esse. *Philippo Bono* Burgundiæ Duce, quidam civis illius Urbis, *Mabuot* nomine, occiderat cognatum cujusdam *Iacotini Plouvier*, qui ex lege & privilegio Valentianensi duellū cum ipso petebat permitti, probaturus, eum ex insidiis & proditorie occidisse cognatum suum. Ipse Dux hujus Duelli spectator esse voluit, in quo *Mabuotus* occubuit.

DE PLACITO ENSIS.

Pag. 301. SIc appellabant JCti *Decisum Senatus*, de acceptando pignore, nempe chirotheca ferrea, quam accusans aut provocans porrigebat, & provocatus acceptabat, & vice versa; idq; publica autoritate Parlamenti regii: quale exemplum producit ex *Regesto Curiæ Parlamenti*, cujus initium est: *Parlamentum Paris. incœptum anno Dom. 1343.* Breviter ita habet: Die Lunæ 15. Decembr. coram Rege comparuit *Henricus* DU BOIS, Eques, cum *Johanne de Vervirs*, Equite, præsentibus *Petro de S. Gilles* Conestabili, aliisq; summi ordinis viris, & conquestus est, *Johannem* Regi retulisse, se ab *Henrico* veneficio constrictum, & *Henricum* ejusmodi artes callere, in tantum, ut si vel tangat aliquam feminam, ipsa cogatur ipsius libidini obsequi. Hoc *Johannem* in eum finem

nem dixiſſe, ut *Henricum* ab aula ſubmoveret, & diffamaret; Proditorio itaque egiſſe. Uterq; itaq; coram Rege chirothecam projecit. Conſilio habito judicatum eſt, pignus acceptandum, & *Henricum du Bois* eſſe provocantem: juſſiq; ſunt ambo vadimonio ſe ſiſtere, neque ex aula profugere, datis fidejuſſoribus, qui ſub amiſſione vitæ & bonorum promittebant, ſe ſtituros utrumq;. Utrum autem duellum illud peractum, an vero amica compoſitione abolitum ſit, non memoratur in dicto *Regeſto*.

Sub *Carolo VI.* ejusmodi *Placitienſis*, inter duos Normannos Equites contracti, exemplū contigit. *Johannes Carrongius* formoſiſſima uxore domi relicta, contra infideles pugnabat: *Jacobus de Gris*, Ducis *Alenzonii* pocillator, uxorē illam deperibat, & cum ipſius famulam corrupiſſet pecunia, poſtquam ſtudio ſuper cœnam domino poculum porrigens, id in veſtimenta profudiſſet, ab eo noctu in cubiculū dominæ introducitur, quā vi conſtuprat. Sex milliaribus diſtabat domus Carronges ab urbe *Alenzonio*. Tanta vero diligentia uſus fuit le Gris, ut mane adeſſet Duci è lecto ſurgenti; & cum aquam manibus lavandis porrigeret, iterum ſtudio eam in Domini veſtes effudit, quaſi temulentus eſſet. Carrongii uxor redeunti marito conqueritur, quod ipſi *a le Gris* vitium oblatū. *Carronges* eum coram Parlamento accuſat, qui factum negat, *impoſſibile eſſe* dicens, *ſe Carrongii domum ingreſſum, cum & veſpere antecedente, & ſubſequente die, domino praſto fuiſſet*, quod effuſis aquæ & vini ſignis domino in memoriā revocabat. Cum tamen in affirmando *Carrongius* & uxor perſtaret, deficientibus argumētis, armis res demandata fuit, vadimonio & pignore ſupra relato, contractis. *Carrongius* vicit adulterum, & factum fateri coēgit, qui propterea morte punitus fuit. *Sic Froſſardus & Monſtreletus*. Sed *Johannes Juvenalis de Urſinis*, Archi Epiſcopus Rhemenſis, qui eodem tempore vixit, & magna in aula iſta auctoritate polluit, teſtatur, poſtquam *uxor Carrongii* juramentum pro affirmativa, & *le Gris* pro negativa præſtitiſſet, victo *le Gris*, cum is lamentabiliter innocentiam ſuam teſtaretur, Deumque ad animæ damnationem teſtem vocaret, *Carrongium* tamen uxoris juramento plus credentem, enſe ipſum transadegiſſe. Poſtea tamen alium quendam, in mortis articulo conſtitutum, confeſſum eſſe pluribus, ſe vi conſtupraſſe Carrongii uxorem, & *le Gris* hujus rei innocentem eſſe.

In vita Caroli VI. Galliæ Regis, &c.



Von dem Kampff-Platz zu Schwäbisch Hall im Kochenthal.]

Sebast. Munsterus Cosmographiæ suæ libr. III. pag. 808. & seqq.

EIn Reichs-Stadt ist Hall im Kochenthal/ hat eine eigene Müntz/ die geht nicht weiter dann so ferr ihr Gebieth sich strecket. Es hat diese Stadt gar köstliche Saltz-Pfannen / und das Saltz saltzet gar wol/ ist klein und weiß / das führet man in Francken und an den Rheinstrom. In dieser Stadt ist ein Kampff-Gericht/ wenn zwey Edel-Rittermässige mit einander kämpffen wollen um Ehr und Glimpff/ und wird diese Ordnung darinn gehalten. Nachdem ein Erbar Raht daselbst von Keysern und Königen vor vielen Jahren gefreyet ist / so sich also zween Edel Ritter-mässig mit einander verwilligen / und beyd ein Rath um Platz und Schirm bitten / schreibet ihnen ein Raht der Meynung. Ihr Schreiben und Begehr hab ein Raht gehöret / und der Unwill zwischen ihnen sey ihm leyd / wolten gern daß sie von ihren Fürnehmen abstünden / und bitt sie mit allen Fleiß des zu überheben / und sich sonst einander ehrlicher und ziemlicher Weiß/ Mittel und Weg/ zu vereinigen/ daß woll sich ein Erbar Raht zu ihnen versehen / das begehre ein Raht um sie zu verdienen. Und da sie beyd wieder schreiben und bitten der Meynunng wie vor / und nicht wollen abstehen / auff daß schreibet ihnen wieder ein Raht wie vor. Und ob sie weiter auff ihrem Fürnehmen beharren/ so benennt ihnen ein Rath ein Tag darauff zu erscheinen / ihr beyder Klag / Ansprach und Anliegen gütlich zu verhören. Und, so sie den Tag annehmen zu kommen / und alsdann darauff erscheinen / so hört ein Rath ihr Anliegen / und nach Verhörung thut ein Raht möglichen Fleiß sie in ein ander

ander Mittel und Weg gütlig oder auff das Recht zu vereinigen. So daß aber je nit sein Will / und so sie nit von ihrem Fürnehmen absehen/und ein Rath nit erlassen wollen / so saget ihnen ein Raht Platz und Schirm zu / und benennt ihnen ein Tag zu kommen. Und so sie kommen / und ist ihr Begehr wie vor / so müssen sie beyde schweren zu GOtt / ihrem Fürnehmen gestracks auff den bestimpten Tag folge zu thun/und benennt ihnen / jeden ein Anzahl Leut / mög er mit ihm bringen / und nicht mehr Personen / denn ein Raht / ihn zulassen gefällig ist. Auff die selbig Zeit läst ein Raht den Marck oder Platz mit Sand beschütten und umschrancken / und jedem ein Hütten da er mit den Grießwarten und seinen Verwandten seyn mög / machen/ und jedem ein Todten-Bahr mit Kertzen / Bahr-Tücher und andern Dingen die zu einer Leicht gehörend. Es wird auch eim jeden seines Gefallens/ein Beicht-Vater/zween Grießwarten/ und einem als dem andern gleich Harnisch und Wehr zu gelassen / oder mögen sich des als selbst zu Roß oder Fuß vereinē / wie sich deßhalb in Schrifften versprochen und zugesagt haben. Und alsdann in gegen ihren beyden läst ein Raht / als gleich Schutz und Schirm/offentlichen ausruffen und verkünden / daß niemand schrey / deut / winck / oder sonst Zeichen thu und gab. Und welcher das nit thut / den wolle ein Raht durch den Nachrichter / der dann gegenwärtig seyn soll / mit eim Handbeyl und Block die rechte Hand und den lincken Fuß abhauen lassen ohne Gnad. Es werden alle Thor verschlossen / alle Thüren/ Wehr und Mauren/besetzt / und alle Gassen mit eysen Ketten durchzogen / bewart und versehen. Weiter wird verbotten und bestelt / daß kein Frauen-Bild noch Knab/unter 13. Jahren alt/darbey seyn oder zusehen gestatt werde. Alsdann bestimpt ein Raht ihnen beyde Stund auff den Platz in sein Hütten zu kommen/mit seinem Beicht-Vater und Grießwarten/ und verwechselt alsdann ein Grießwarten und befellicht jedem in sein Hütten zu gehn / und auff das allerhefftigst mit allem Fleiß auffmercken zu haben / daß keiner wider der andern Untrew/

treu / sonder Gefahr nach Vortheil der Wehr und Waffen suche/ thun/ noch hab in kein Weiß noch Weg. So das alles geschicht alsdann läst man sie gegen einander austretten/ und wird bestelt mit lauter Stimme drey mal zu ruffen. Zum ersten / zum andern/ und zum dritten mal / so wenden sie einander an. Welcher verwundt wird und sich dem andern ergibt / der soll hinführo geachtet werden Ehr-loß/ auff kein Pferd mehr sitzen / kein Bart scheren / noch Waffen oder Wehr tragen/auch zu allen Ehren untüglich. Und welcher todt liegen bleibt / und also wie lauter überwunden wird / der soll zur Erden ehrlich bestattet werden. Und dieser der also obligt / der soll sein Ehr genugsamlichen bewert haben/auch forthin ehrlicher gehalten werden.

Anno Christi 1005. hat Jost von Burgaw und Georg Hail zu Hall kämpfft auff dem Viehmarck/am nechsten Freytag nach S. Georgen Tag/lag Görg Hail ob / und Jost von Burgaw blieb biß an den Donnerstag und starb. Darnach haben aber zween Edeln mit einander kämpfft in grünen Röcken ohn Harnisch / da ergab sich einer dem andern. Weiter hernach haben zween Edlen/einer Greuter geheissen / der ander Baustetter / mit einander kämpfft / und ist der Greuter obgelegen / und auff den Knyen von der Wallstatt gangen in ein Capell unser lieben Frauen zu Hall am Capellen-Thor / daß ihm die Knye bluteten. Darnach haben zween Edlen / einer von Münchingen / der ander von Pappenburg mit einander kämpffen wollen/die sind von einem Raht zu Hall abgethädiget und vertragen worden. Ein ander Kampff-Platz ist zu Würtzburg in Francken-lande/wie aber daß in viel ander Gestalt gebraucht und gehalten wird/ laß ich von Kürtze wegen hie anstehn. Item zu Onspach bey Nürnberg soll auch ein Kampff-Ort seyn / aber ich hab nichts gewisses biß hicher erfahren.

FINIS.

